



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

prando eum eo, sed captivando intellectum in obsequium ipsius Christi iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 10. vers. 5. ac dicendo; Credo quia ex Christi doctrina, ita tener sancta Ecclesia à Spiritu sancto edocta. Voluntatem verò animæ spe in ipsum quoque Christum, pro te crucifixum; cuius misericordie non est numerus. Additio tamen diuinæ iustitiæ ipsius timore, si Dæmon iam conscientiam propriorum scelerum voluntatem pulset ad desperationem: sed ad præsumendum de aliqua nostra sanctitate, eam inclinet perniciosè: quandoquidem vix iustus saluabitur ex 1. Petr. 4. Ad armatum quoque se charitate exhortandus est; & maxime is qui decumbit vulneratus ab alio, aut qui afflicendus est extremo supplicio: inculcando nullam superesse spem eternæ salutis ei qui pro Christo nolit acceptas iniurias condonare. Charitatis igne in holocaustum, esse cor nostrum, offerendum Christo, qui pro nobis seipsum obtulit Patri. Imitandum est, ipse passus pro nobis, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius. ] 1 Petr. 2. Maxime autem in eo quod pendens in cruce pro suis crucifixis oratibus oravit. Et non multo post offerendus es iudicandus: ut tibi coram eo bene sit. Petis ut dimittat tibi debita tua, sicut dimittis debitoribus tuis. Dimitte ergo ut dimittatur tibi antequam tradaris tortoribus, & ligatis manibus & pedibus mittaris in tenebras exteriores, ubi erit fletus & tridor dentium. ] Esto indignè tractatus sis, aut falso accusatus, materiam meriti habes maiorem, imitando proprius Christum in condonatione iniuriarum; sicut & in obeunda morte; quam ille innocentissimus passus est indignissimam. Laus Deo



## LIBER TERTIVS.

## DE SACRAMENTALI SIGILLO, QVOD CONFESSARIVS SERVARE TENETVR PERACTA SACRAMENTI Pœnitentiæ Administratione.

## P R A E F A T I O.

**A**CTENVS exposita sunt, quæ spectant ad Confessarij condiciones antecedentes aut comitantes Sacramenti Pœnitentiæ usum: superest vna, quæ eundem usum sequi debet, nempe fidelitas sigillum secretum ve Sacramentale ex eo dicitur, quod auditur in Sacramentali confessione, compellat altissimo silentio contegi. Illius autem explicationem passim Theologi persequuntur in 4. dist. 21. aliqui dist. 18. ut Sotus quest. 4. art. 5 & 6. Canonista, in cap. Omnia vtriusq. sexus. De Pœnit. & remiss. Summularij in verbo Confessio, vel Confessor: alij, agentes de Pœnitentiæ Sacramento, ut à Victoriam in summa de Sacramentis, n. 186. & aliquid sequentibus, Medina in Cod. de Conf. q. 45. & deinceps vsq; ad finem. Nauarr. in Enchir. cap. 8. & ad e. Sacerdos. De Pœnitent. dist. 6. Quibus accesserunt recentiores, ut Suarez tom. 4. disp. 33. & 34. & Henriquez alios in margine citans li. 6. summe Theologiae; cap. 19. & sex sequent. Quæ autem faciunt & sufficiunt ad nostrum institutum complectemur sex capitibus: quorum primum erit de natura istiusmodi sigilli. Secundum de illius vi obligandi, quanta ea sit. Tertium de illa qui tenentur ipsum seruare. Quartum de iis quæ sub ipsum cadunt seu quorum revelatione ipsum frangitur. Quintum de casibus in quibus licere potest reuelare aliquid auditum in confessione. Sextum de prudentia vtendi licentia à Pœnitente data reuelandi quæ dixerit in confessione.

## CAPVT PRIMVM.

## De natura sigilli Sacramentalis.

## S V M M A R I V M.

- 1 Quid & quoruplex sit Sacramentale sigillum.
- 2 Sigillum sacramentale institutum est à Christo.
- 3 Sigillum Sacramentale maius est quocumque alio, grauisissimaque pœna iure canonico puniuntur illius v. latio.
- 4 Ea est sacrilegium, suo genere inordinata, se nisi de se non reddat confessionem inuolutam.
- 5 Humanum tantum est sigillum, non autem Sacramentale, cum sine sacramentali confessione dicitur Sacerdoti; Hoc tibi dico in confessione.
- 6 Ex confessione facta non Sacerdoti, aut non habenti sufficientem iurisdictionem potest oriri sigilli Sacramentalis obligatio, ob bonam fidem Pœnitentis.
- 7 Non occurrit Sacramentale sigillum, quando Confessarius certus est moraliter non fieri Sacramentalem confessionem: scilicet si dubitet.
- 8 Ex confessione facta tantum ad petendum consilium non oritur istiusmodi sigillum; quod tamen non requirit illam sic factam esse, vt absolutio secuta sit.

**Q**Uoniam vt sigillum rem obfiguram, teneat occultam: sic obligatio seruandi aliquod secretum, impedit ne ipsum manifestetur: per metaphoram (inquit Nauarr. in Enchirid. cap. 8. num. 1.) obligatio seu debitum aliquid occultandi dicitur sigillum diuiditurque (quod idem addit in sequent. num. 2.) in sigillum secreti, & in sigillum confessionis. Illud est obligatio quædam à iure naturali indicta ad occultandum secretum sibi ab altero commissum: dicitur enim ratio naturalis non esse faciendum alteri, quod tibi factum nolis; nemo autem velit publicari secretum quod alteri commisit. Ergo nec debet sibi commissum publicare: dicente Domino Matth. 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines; & vos facite illis: ] Accedit quod nisi id obseruetur, peccat amicitia, societas, & commercium inter homines.

Istud verò est, obligatio quædam à Christo Domino introducta ad occultandum id quod in Sacramentali confessione detectum fuerit. Etenim Dominus ipse infligendo confessionem peccatorum omnium, etiam occultorum: tacet à saltem, & per quandam consequentiam censetur ea instituisse, sine quibus confessio non nisi incommodè fieri potest: inter quæ certum est ponendum esse secretum; quandoquidem confessio à nemine amaretur; immo esset omnibus exosa, nisi seruetur summe secreta. Non videtur ergo dubitandum, quin lex de celanda confessione ceteri possit ab ipsomet Christo Domino lata: Quæ ratio est Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. num. 33: Querenti verò ubi habeatur lex illa Christi, iure diuinum de sigillo confessionis? Respondendum est ex Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. col. 4. ibi haberi; ubi occultorum confessio iubetur; cuius difficultatem minuit obligatione ad secretum seruandum, exposcit suauitas iugi, & leuitas oneris Domini.

Sigillum autem confessionis merito censeri maius quodlibet alio sigillo hinc intelligitur; quia ad celandum quodlibet alium sigillum, homo tenetur tantum lege natura: ad illud verò seruandum tenetur, tum lege natura: nam cum homini tanquam Deo commissum sit, ratio dicitur nullatenus reuelandum esse: tum etiam lege diuina positiua vt patet ex iam dictis: tum demum lege humana, quæ arcte & sub graui pœna talis sigilli violatio prohibetur; cum dicitur in cap. Sacerdos. De pœnitent. distinct. 6. Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est; non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hæc fecerit, depœnatur: & omnibus diebus vite suæ ignominiosus peregrinando pergat. ] Et in cap. Omnis viriusque sexus. De Pœnitent. & remiss. Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodatur peccatorem; sed si prudentior consilio indigerit, illud absque vlla expressione perfonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiæ iudicio sibi detectum præsumplerit reuelare; non solum à

Sacerdotali officio deponendū decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arcum in onerium detrudendum. Vbi nota non teneri quidem sigilli confessionis infraactorem subire hanc poenam, quousque fuerit iudicē condemnatus (vt patet ex communi doctrina de lege penali) ipsum tamen incurrit eam ipso iure.

4. Quam poenam aduerte etiam indicare talis sigilli infraactorem grauisi mi criminis reum constitui: pura sacrilegij quo malicia violationis secreti naturæ (quæ suo genere mortalis est contra iustitiam) transfertur in allam, secreti videlicet sacri, contrariam religioni: vnde ea debet de necessitate in confessione exprimi. Id quod Nauarr. notans in sequen. nu. 39. addit; quod ea importet specialis præcepti transgressionem; nimirum præcepti diuini, tacite saltem in Christo dati de celandis auditis in confessione. Verum tamen in aduertentia potest in ea excusare, sicut & in multis alijs peccatis suo genere mortalibus; quod etiam notat Suarez tomo 4. disput. 33. sect. 1. num. 12. Quid quid autem sit, debet Confessarius cautissimus esse, ne quid dicat vel faciat, vnde ali quid de auditis in confessione aperiat: siue directè, siue etiã indirectè. Quãquam, quia de necessitate & substantia Sacramenti non est, vt confessio celetur; violatio sigilli Sacramentalis non ponitur in numero eorum, quæ confessionem reddunt inualidam: quod etiam notat Sotus loco citato.

Casus in quibus apparenter quidem, non tamen verè, sigillum Sacramentale occurrit.

5. Ex quo auctore in sequen. col. 10. & ex pluribus alijs (quos refert Sanchez lib. 3. de matrimonio disput. 13. nam. 6.) aduertitur: quia nunquam occurrit sigillum Sacramentale, nisi vbi confessio fuerit sacramentalis: prout esse censetur facta cum intentione accusandi se, subiiciendo peccata sua clauib. Ecclesie.

Aduerte, inquam, cum quis ad commendandum secretum dicit alicui: Hoc tibi dico sub sigillo confessionis, non esse propterea sigillum Sacramentale, sed tantam humanum, seu secreti humani, etiam si alter affirmet se illud recipere sub sigillo Sacramentali. Immo etiam si quis illud idem dicat Sacerdoti flexis genibus & præmissa confessione generali, si id faciat duntaxat causâ conseruationis secreti, non autem intentione confessionis faciendæ, sine qua intentione non exurgit vinculum secreti Sacramentalis. Itaque non obstantibus eiusmodi ceremonijs (de quo monendus est qui illis vtitur) si talis Sacerdos in iudicio legitime interrogetur super tali secreto, potest & debet illud manifestare, tanquam solummodo humanum; quod esset nefas (vt post patet) si sub Sacramentali sigillo id deberet teneri secretum. Ex eodem fundamento colliguntur quæ Suarez tractat in cit. disput. 33. sect. 2.

Primum est, confessionem factam laico, aut alteri non Sacerdoti, non inducere obligationem ad hoc sigillum, etiam si confitens contrarium putet, quia non est confessio Sacramentalis.

6. Secundum est, confessionem factam alicui non Sacerdoti, aut non habenti iurisdictionem sufficientem, inducere prædictam obligationem, si bona fide sit facta, nempe existimando illum Sacerdotem esse, iurisdictionemque sufficientem habere. Ratio est, quia licet talis confessio non sit de facto Sacramentalis, procedit tamen ex intentione suscipiendi Sacramentum illud, quod iuxta Christi institutionem regit peccata in vtu eiusdè confessionis detecta. Et quia præceptum de Sacramentali sigillo impositum est Confessario in fauorem Poenitentis, consentaneum est ipsum interpretatione extendi ad confessionem ab eodem Poenitente bona fide factam, sub ratione & intentione Sacramenti suscipiendi. Et certè bona fide procedenti, iniuria alioqui fieri iudicaretur, ipsaque Sacramentalis confessio odiosa redderetur, propter metum reuelationis secreti faciendæ, etiam si quis bona fide confiteatur.

7. Tertium est, quando Poenitens exterius dicit se velle confiteri, & ex modo dicendi, atque ex alijs circumstantijs & signis, Confessarius moraliter certus est de contrario, non oritur sigillum confessionis: nam talis confessio non potest rationabiliter censeri Sacramentalis. Secus verò est, si ille tantum dubius fuerit, quia consentaneum est in du-

bio iudicare in fauorem confessionis & Poenitentis.

Quartum est, vt oriatur sigillum confessionis, non sufficere confessionem fieri sola intentione petendi consilium, & communicandi res suas cum Sacerdote: nec contra necessarium esse, fieri cum intentione ita confitendi vt obtineri possit absolutio; sed sufficere intentionem accusandi se coram Sacerdote tanquam iudice constituto à Christo, vt ab eo vel absoluat, vel iuuetur eo modo quo expedire cognouerit; quod sufficit vt confessio sit aliquo modo Sacramentalis: cum ordinetur ad absolutionem, saltem sub conditione, si Confessor iudicauerit dandam: vel certè si Deus permiserit, riu ipsius, Poenitentem ipsum disposerit. Quo nomine in c. Quod quidam. De Poenitent. & remiss. præscribitur, vt audiatur volens confiteri, etiam si non habeat propositum emendationis vitæ: & per consequens, tanquam confitens sine contritione, non fit absoluedus; nisi persuasus bonis monitis Confessarij, & diuino adiutus auxilio, firmum emendationis propositum concipiat.

## CAPVT SECVNDVM.

De vi sigilli Sacramentalis quanta sit.

### S V M M A R I V M.

- 9 Sacramentalis sigilli vis est tanta, vt nullum obset incommodum, quin obseruari debeat, etiam post Poenitentis mortem.
- 10 Ratio eius rei.
- 11 Nullius Superioris, ne quidem Pape iussu, licet violare Sacramentale sigillum.
- 12 Ne quidem ad saluandam rem publicam: & cur.
- 13 Quod procedit, non obstante quod confessio facta non mereatur absolutionem.
- 14 Aritamen Superior generaliter moneri potest de periculo: nullatenus autem cum persona manifestatione.
- 15 Limitatio cum qua id accipiendum est.
- 16 Explicatio dubij, An Abbas possit ab officio amouere Monachum, quem ex confessione sit male in illo versari.
- 17 Quando possit Dominus dimittere grauem quem ex confessione noquit ferre esse.
- 18 Neque ad vitandum quodcumque graue damnum priuatæ personæ, licet frangere sigillum Sacramentale.
- 19 Sacerdos mortem potius subire debet, quam detegere audita in confessione: illam tamen facta aliquo, ad quod habet ius, vitare non prohibetur.
- 20 Ne quidem ad declarandum Confessario suo integre animæ propria statum licet detegere, quæ nota tantum sunt ex Sacramentali confessione.
- 21 Imprudenter agit Confessarius sic implendam poenitentiam iniungens, vt inde possit detegi peccatum mortale auditum in confessione.
- 22 Ratio quia potest Confessarius de auditis in confessione interrogatus respondere, ne Sacramentale sigillum frangat.
- 23 Ad vitandam sigilli Sacramentalis violationem, coniungi possunt matrimonio habentes illius impedimentum: vt & Eucharistia indigno ministrari potest: idque quando.
- 24 Poenitens extra confessionem interrogatus à Confessario de iis quæ in confessione detexit, negare potest se ea dixisse.

Sacramentale sigillum vim adstruendi ad obseruationem secreti habet perpetuam: hoc est, quæ durat etiam post mortem Poenitentis, qui tunc quoque capax est honoris: ea enim vis nascitur ex præcepto negatiuo obligante ad semper & pro semper: quod etiam alijs citatis notat Nauarr. in Enchir. capite 8 numero 7. Tanta verò est eadem vis, vt exceptis aliquibus casibus, de quibus postea in cap. quinto: neque sponte narranto, neque ad alterius interrogationem respondendo, neque directè, neque verbis, neque factis, neque nutu, aliove signo externo, nullo denique modo liceat audiam confessionem alijs manifestare, iuxta textum satis expressum in cap. Omnis vir inique sexus. De Poenitent. & remiss. s. Caueat. Et quamuis alia secreta, quæ ordinariè celanda esse lex naturæ præscribit, scire possint & debeant reuelari (videlicet, ex Nauarr. in præced. num. 2. quando Superior iuber, vel quando talis secreti occultatio nocet animæ, vel corpori, vel honori, vel re familiari proximi) sigillum tamen Sacramentale nulla de causa reuelandum est, nisi volenti, & facultatem dante Poenitente, aut certè inter-

ueniat aliquod eorum de quibus dicitur in sequenti ca. 5. Id quod satis significatur in cap. Sacerdos. De Pœnitent. distinct. 6. cum dicitur, neque pro aliquo scandalo vitando, reuelandū esse quod auditum est in confessione.

10. Vbi Nauarr. num. 118. eius rei rationem adfert, *latius tractatam à Medina in Cod. de confess. questio. 25.* quod nullum adeo graue malum occurrere potest, quin grauius sit & maius, Ecclesie que Christianæ perniciosius, & abominabilis fieri Christianis confessionem Sacramentalem: quæ (vt in sequenti parte docebimus, cum de obligatione confitendi agemus) est ex Christi præcepto: seu institutione necessaria ad reconciliationem peccatoris cum Deo, quæ post susceptum baptismum committitur mortaliter peccando. Simul autem ac concesserimus confessionem contra confidentis voluntatem reuelari posse, illa fiet ex omni communiter: & in ordine ad omnes Confessarios; eadem ratione, qua particulariter solet fieri, ac esse in ordine ad eos Confessarios, de quorum fidelitate diffiditur. Nulla igitur de causa illud concedendum est; præsertim cum eo casu, in quo confessio reuelari posse dicitur, nemo confiteri vellet, nec teneretur: quandoquidem, vt Suarez tom. 4. disput. 33. sect. 1. num. 11. argumentatur; non potuit Pœnitens perle, & quantum est ex parte sacramenti conuenienter in omni casu, & sine vlla exceptione obligari ad toram suam conscientiam Confessori prodendam: nisi Confessor ipse simili modo obligaretur ad illam tacendam. In contrarium autem nonnulla obijci possunt, quorum solutionem cum Medina, & quibusdam aliis Nauarr. in sequenti num. 119. & demps persequitur, & post ipsum Suarez in ead. sect. 1. num. 15. Sed pro praxi sufficit scire, illa non impedire, quin de proposita veritate omnes doctores inter se consentiant. Itaque contenti erimus, quædam ad ipsam praxim attentia inde inferre, cum memoratis authoribus.

Primum est: longè strictius esse sigillum secreti Confessionis, quam sigillum secreti naturæ, quod in multis casibus reuelari posse dictum est.

11. Secundum (de quo latius Medina in Cod. de Confess. quest. 48.) est: ne Papam quidem posse dispensare cum Confessario, vt confessionem reuelet; quoniam Papa non potest dissoluere, quod est iure naturæ vel diuino constitutum; licet aliquando delecter taleius, non habere in aliquo casu locum.

Tertium (quod vt plurimum ab omnibus Theologis & Canonistis receptum ait Nauarr. ad idem cap. Sacerdos in. 166.) est: ne quidem iubente Superiore sub pœna excommunicationis Confessarium teneri reuelare quod per confessionem didicit; quia Dei potius, quam hominum præcepto obediendum est: diuino autem præcepto prohibetur talis reuelatio.

De eo quod non possit frangi Sacramentale sigillum ad impediendum quoduis damnum graue publicum.

### SECTIO I.

12. Quartum (pro quo in preced. num. 2. plures doctores referunt Suarez) addens fundari in perpetua traditione Ecclesie est: ne que si relatio confessionis cedat in præiudicium graue communitatis, frangi posse sigillum Sacramentale: vt si quis confessus est se propositum habere seminari dogma, quod reuera est hæreticum: aut propositum habere tradendi ciuitatem hostibus, aut aliud eiusmodi damnū inferendi, cui nequeat aliter obuiari, quam detegendo confessionem, non licet detegere; quia nullum bonum procurare aut damnū impedire licet per media illicita: vt per mendacium, vel fornicationem: cum non sint facienda mala vt eueniant bona ad Rom. cap. 3. Reuelatio autem confessionis est intrinsecè illicita, sicut mendacium, & fornicatio; prout Nauarr. satis indicat, illam eis æquiparans in preced. num. 140. Et confirmatur quia talis violatio præcepto naturali negatiuo (quod dicitur esse de re natura sua mala) perinde reputatur, ac mendacium, vel fornicatio, Stare enim Christi institutione, quæ confessio omnibus hominibus post susceptum baptismum in peccatum mortale lapsis necessaria est (saltem in voto, si re ipsa fieri nequeat) tanquam medium sine quo salus æterna obtineri non potest; ratio naturalis aper-

te dicta, malum suapte natura, illicitumque esse id facere: per quod à tali medio capessendo homines auertantur: quale sanè est reuelare confessionem auditam; cum inde talis auersio nata sit sequi. Adde quod graua illa mala, quibus alia via Deus prouidere potest, cum tantum urgeant ad tempus, minora sint, quam data occasio perpetui impedimenti vsus sacramenti Pœnitentiæ. Si quis opponat peccatum nondum commissum, cum non sit materia confessionis, non cadere sub Sacramentale sigillum. Respondendum est sufficere, quod reuelari non possit, quin consequenter reueletur malum propositum; de quo facta est confessio: quod sufficit vt tale factum contetur sub sacramentale sigillum cadere, iuxta post dicenda in seq. ca. 4. Videri potest Suarez in eadem disput. 33. sect. 3. nu. 3. & 4. præter alios antiquiores, quorum meminit Henricus in 1. parte summe Theolog. moralis lib. 6. c. 19. §. 8. lit. Q.

13. Porro quartum istud cotollarium ex communi Theologorum sententia teste Nauarr. ad idem cap. Sacerdos numer. 120. procedit etiam quando iuxta cap. Quod quidam. De Pœnitent. & remiss. facta confessio censenda est invalida, nec danda est cōfessionis absolutio, inquam non pœnitenti sufficienter. Rationem idem Nauarr. in seq. num. 122. reddit quia non oportet confessionem, vt censetur obligata Sacramentale sigillo, talem esse vt absolutionem mereatur: quia, vt habetur in ca. Verbum, De Pœnitent. distinct. 1. Dominus par ius esse voluit, & ligandi & soluendi; qui vtrumque pari conditione permisit; cum scilicet. Ioan. 20. dixit: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Iam verò, confessio vt cum contritione medium est absolueudi: sic facta sine contritione, medium est ligandi: adeoq; negandi absolutionem. Vnde sanè fit, vt sicut Sacerdos tanquam Iudex & Vicarius Dei in foro conscientie, excipit priorem eandem confessionem, excipiat & posteriorem: atq; adeò vtriusque eadem sit vis inducendæ obligationis seruandi secretum.

14. Sicque prout ad idem cap. Sacerdos, numer. 124. admonet Nauarrus (occurrente casu in quo Pœnitens confitetur deliberationem disseminandæ hæreseos, vel perpetrandi alterius criminis quamlibet magni, à quo desistere non lit: imò & quod proponat executioni mandare, Confessarium posse quidem, argumento cap. Sacerdos. De officio Ordin. Episcopum aliumve, cui res ea curæ fuerit, monere generaliter vt inuigilet super gregem suum, eo quod lupus rapax tentet eum inuadere. Possit item cætera facere quibus obuietur delicto committendo, sine aliqua tamen eius qui confessus est manifestatione; etiam si hæc sola remedium esset hæreseos, vel alterius grauissimi criminibus impediendi, neque ad id superpeteret aliud conueniens aut sufficiens. Quam omnium Theologorum sententiam esse addit idem Nauarr. ibid. Rationibus verò satis efficacibus eam niti, constat ex antea propositis, sufficientibus ad moralem certitudinem.

15. Quamquam tamen aduertendum est, illud quod idem vult, licitam esse monitionem Superiori factam generaliter & absque expressione vllorum particularium, ex quibus in personarum notitiam deueniri tandem possit: probabile esse quidè in speculatione: nihilominus tamen in praxi contrarium sequendum esse ordinariè, ob reuerentiam Sacramentum pœnitentiæ debitam. Quandoquidem in tali admonitione opus est tantà, tamque multiplici circumspectione: vt difficillimum sit illam vsurpantem non incidere in sigilli Sacramentalis violationem: ac laesionem securitatis & libertatis contentium. Videri potest Thomas Sanchez in l. 3. de matrim. disput. 16. q. 1. vbi pluribus ea de re agit. Ad didi (ordinariè) propter illud, quod Martinus Delrio arripit in l. 6. disput. magicarum c. 1. sect. 3. versus Quoad 1. limitatorem. Nimirum si per omnia propiciatur sigilli Sacramentalis integritati (vt impossibile non est) peccata subsistit via per quam graue aliquod damnū reipub. aut proximis immittens propellatur, quam per prædictam admonitionem, eà vsurpari posse quia talis vsurpatio sic modificatur, vestita circumstantijs propositis, vt diuine legi minime aduersetur & sit consentanea legi naturali, rectæ ve rationi.

Quamquam tamen negandum non est quin tunc, sicut & alias in similibus casibus (prout notat Sotus, in 4. distinction. 18. q. 4. art. 5. col. 5.) munus sit prudentis Sacerdotis admonere

Pœnitentem, quam potuerit vrgentissimè, vt ipsemet scelus perpetrandum reueler: si que id obtinere nequiverit, non absoluat, & generalibus verbis ( si interueniant duæ circumstantiæ ante memoratæ ) admoneat eos, quibus periculum imminet; nempe vt sibi prospiciant, cauendo peccata quæ accidere solent.

Ad quod facit exemplum Domini (allatum in antecit. c. Sacerdos) monentis Discipulos generalibus verbis de prodicione Iudæ: Vnus vestrum me traditurus est.]

16. Cui doctrinæ congruenter, suppositoque earumdem circumstantiarum concursu; intelligenda est responsio, quam ad dubium quoddam Medina adhibet in citata questio. 45. §. superest. cui consentientes tam antiquiores, quam recentiores plurimos refert Sanchez libro tertio de matrimonio disputatione. 16. num. 2. Quod dubium, est an Abbas, qui ex confessione Monachi nouit vergere in perniciem religionis, quod is maneat in aliquo officio: possit illum amouere: responsio vero ad illud, est posse: dummodo id fiat sine reuelatione confessionis, seu absque eo quod prodatur Monachi peccatum: puta si Abbas ipse solet proprio nutu & voluntate Monachos à similib. officiis remouere; eo quod illi nullum ad eadem officia ius habeant: aut si id solet, non ob Monachorum culpam commissam; sed ob periculum committendi aliquam, si diu in officio maneat; aut quia talis Monachus factus est se ad illud officium inhabile esse, aut dixit se optare alijs rebus vacare: sic enim ex tali Abbatis facto non reuelatur peccatum Monachi. Quod si videntes illum amotum, inde concipiant commississe græuè aliquod peccatum ipsis imputanda est eiusmodi conceptionis malicia, tanquam ijs qui temerè, & in peiorem partem, rem interpretentur. Non enim necesse est (quod onus esset penè intolerabile) vt Sacerdos euitet omnem occasionem suspicionis, quam quilibet suâ malitiâ sumere possit, dummodo à parte rei ipse nullâ det, aut dare intendat. Quod si casus talis sit, vt non nisi ob culpam soleant Monachi à tali officio amoueri: quia tunc Abbas videretur confessionem factam reuelare, teneretur talem Monachum in officio sustinere, iuxta doctrinam à Soto traditam in cit. art. 5. col. penultim. quousque occurreret alia causa eum amouendi.

17. Cæterum id quod de tali responsione dicitur, locum habet pari de causâ in alijs similibus, cuiusmodi est; illum qui ex confessione sciret famulum suum furem esse, posse ipsum dimittere, si ad nutum dimitti possit, aut certe pecunias ei non committere; dummodo id faciat cum ea dexteritate, vt nullam iustam occasionem det suspicandi tale quid fieri ob partefactum per Sacramentalem confessionem peccatum: vt si propositi sui executionem in tanto tempore differat, quanto fuerit opus ad existimandam eam provenire aliunde, quam ex audita confessione, cuius vix super sit memoria: & sic de alijs circumstantijs, quas prudentis est sic expendere, vt nihil agatur ad vitandum proprium damnum: quin omnino consulari integritati sacramentalis sigilli. Pluribus de his Suarez. tom. 4. disput. 33. sect. 7. fere per totum.

De eo, quod non possit Sacramentale sigillum violari ad euitandum quodcumque græue detrimentum priuatum.

SECTIO II.

18. Quintum est; neque reuelandam esse à Confessario confessionem auditam, quantumcumque illius celatio cedat in græue detrimentum personæ siue terciæ, siue Pœnitentis, siue istiusmet Confessarij. Nam si pro saluanda tota republica ex antedictis, licitum non sit reuelare confessionem; multò minus erit licitum pro salute alicuius particularis.

Itaque si quis confessus est se falsò impostuisse aliquid Petro, propter quod is ad mortem ducatur; aut se mendaciter retulisse Paulo illud, propter quod græues inimicitias cum alio gerit, nec reconciliari vult; non ideo reuelanda est confessio; etiã si inde pendeat salus corporis, vel animæ proximi. Nec obijci potest, licitum esse ficere pro alio, quod is ficere debuisset; quoniam id falsum est, quando tale quid ficere, etsi de se turpe non sit respectu eius qui tenetur: est tamen respectu alterius, vt manifesto exemplo declarat loco cit. Medina: quia debitum coniugale reddere uxori, non est

de se turpe viro proprio: est autem viro alieno: sic etiã Confessori turpe est audita in confessione reuelare, quod confidenti esset honestum, aut etiã ex iustitia alteri debitum.

19. Similiter si Titius ducatur ad mortem de homicidio accusatus falsò, & condemnatus, eo quod in famia metuens opponere noluisset tunc lupanari fuisse, quando alter in platea occisus est; non potest Confessarius, cui id in confessione aperuit, veritatem Iudici manifestare ad illum liberandum à morte. Item si quis monita respiciens, nolit à peccato confesso resipiscere, etiã si omnino credatur emendandus si ab alio redarguatur de eo lem peccato; hoc tamen non est illi reuelandum, etiã si talis celatio cedat in interitum animæ confidentis. Non enim potest supposita Christi antedicta institutione, id licere per quod confessio odiosa reddatur in Ecclesia. Vnde in talibus casibus, vt rectè monet Medina, si Confessor occurrere vult damno corporali vel spiritali Pœnitentis per reuelationem confessionis, debet prius impetrare ab eodem confitente licentiam, quam si dare nolit, opus est vt taceat.

Similiter si Tyrannus, vel quiuis alius perditus, gladium ad fauces Sacerdotis admoueat, cum ingulaturus, nisi reueler quod in confessione audiuit, mori potius debet quam reuelare, ne in Ecclesia reddatur otiosus tam necessarij Sacramenti vltus: pro quo in illa seruando Sacerdotale officium obligat Sacerdotei mille mortem oppetere, inquit Sotus in eodem art. 5. col. 6. & cum eo plures alijs quos commemorat Henricus in sua summa lib. 6. cap. 19. §. 6. lit. D. addens id adeo verum esse, vt Richardus & alij nonnulli ponant exemplum de Sacerdote, qui cum latronibus iter faciens audit vntus confessionem, per quem intelligit se in memore ab illis trucidandum: dicentes talem debere potius mortem oppetere persequando iter, quam retrocedendo confessionem reuelare. Quibus Natar. assentitur quidem ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. num. 137. & aliquos sequentibus. nec negari potest quin sit generosi animi. Non desunt tamen tam recentiores, quam antiquiores qui contra sentiant, quorum meminit Henricus in sequent. cap. 24. §. 5. lit. H. negans eam esse confessionis reuelationem quidquid tales latrones iudicet: quia facta, in quibus vitur quis iure suo ad se tuendum, non sunt, sicut verba per se instituta vt occultæ conceptionis & affectionis sint signa. Ideo enim Sacerdos qui nouit ex confessione, venturos aliquos sequenti nocte in domum suam, qui illam diripiunt, potest alios inuitare ad cœnam, & colloquijs ac recreationibus honestis apud se nocte ea retinere, si aliter malum impedire nequeat: si autem se continere domi, si ex confessione nouit sibi parari iniurias vt necetur. Item dum Confessor pro officio Iudicis conscientia, græues imponit Pœnitentias, (vt ieiunium in pane & aqua) & cautions (vt emutationem domus aut personæ quæ ei causa est ruinæ spiritalis) non est ex eo censendus infractor sigilli; quod alij inde malum aliquod de Pœnitente suspicentur. Vt bene Henriquez ait in fine eiusdem cap. Alioqui enim perplexum ipsum esse contingeret, quando portaret de necessitate, tales pœnitentias tanquam medicinales imponere. Accedit (quod idem etiam in preced. ca. 23. §. 7. habet alijs citatis) quod Prælati Religionis ob notitiam acquisitam in confessione possit alicui negare licentiam exeundi domo; possit item claudere ostium vel fenestras per quas mors intrat, & negare alicui officium periculosum, vt emptoris, vel facti-

Ad quorum confirmationem inducit probatam illam consuetudinem, qua Prælati ideo audit suorum confessiones, saltem annales ( vt ex statuto, pius mos à summis Pontificibus confirmatus, viger in quibusdam religionibus) eo sine vt melius gubernet subditos in bonum spiritale, & consolationem ac directionem ipsorum, cognoscendo vultum sui peccoris, prout bono pastori incumbit, iuxta illud Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. ] In quem finem (boni videlicet spiritalis: non autem politice gubernationis) confessio per se, tanquam medium ordinatur ex Christi institutione. Hæc ille. Attamen si ex talibus, & alijs similibus factis aduerteretur nasci scandalum, & confessionem reddi odiosam, per timorem pudoris & detrimenti ex ea secuturi, ab illis abstinendum esset; quoniam ea de causa

causa non tantum reuelatio, sed etiam suspicio reuelationis euitanda est. Et ea ratione procedit prior sententia: quam Sanchez propugnat in lib. 3. de matrim. disput. 16. quæst. 1. Confitemens tamen posteriorē probabilissimam esse: quod quidem nobis factis est pro praxi, dato quod vitentur ante dicta incommoda.

*De ratione qua in diuersis casibus Confessarius vitare debet sigilli sacramentalis violationem.*

20. **S**extum est; ne quidem ad declarandum Confessario in reg. è animæ suæ statum, licitum esse Sacerdoti confiteci frangere sigillum sacramentale: ita vt non valens aliquod suum peccatum confiteri nisi peccatum alicuius in confessione cognitum sic manifestando, vt is cui confitetur veniat in cognitionem certæ illius personæ; debeat silere tale peccatum, donec possit confiteri alicui non vaenti illam cognoscere. In quam sententiam, ac etiam pro contraria, plures auctores citat Henriquez in sua summa lib. 6. cap. 19. §. 5. lit. X. & T. Bene monens, quod etiam deur præceptum Christi de integritate & confessionis, sicut de sigillo sacramentali; illud tamen cedere huic, tanquam magis necessarium recip. Christianæ.

21. **E**odem etiam pertinere potest, quod habet Nauarr. in Enchir. cap. 8. num. 17. non esse prudentis iniungere Pœnitenti graues pœnitentias, quas teneatur statim, aut non multo post confessionem facere, si tales sint quæ nequeat commode fieri, quin id alicui videant, qui protinus suspicabuntur esse à confessario iniunctas ob aliqua graui crimina. Quæ autem ratione eiusmodi incommodum cauere possit, exponitur in sequenti parte, cum dicitur de prudentia Confessarii in imponenda satisfactioe.

22. **S**eptimum est, Confessarium in retem præsentatum & iuramento adactum ad dicendam veritatem, dicere posse nihil se scire, vel audiuisse, si de iis interrogetur quæ per solam sacramentalem confessionem nouit, iuxta illud D. Bernardi. Nihil minus scio, quam quod per confessionem scio. Ita Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Pœnit. d. sum. 6. num. 141. & plures alij, quos refert Suarez, tomo 4. disput. 33. sect. 6. num. 6. Addens in seq. num. septimo, auctoribus item citatis, id procedere, etiam si interrogatio expresse fiat, An tale quid audiuerit in confessione. Si opponas verum esse, quod Confessarius audiuerit: ergo falsum esse quod non audiuerit, cum duas contradictorias simul veras esse omnino repugnet neque difficultas tollatur dicendo quod sciat vt Deus, sed nec sciat vt homo; cum verè auribus carnis audiuerit. Respondetur, non posse quidem contradictoria simul esse vera, si vtrumque absolute accipiatur: posse autem, si vnum absolute, & alterum cum additione, sicut in præfatis casu; in quo affirmamus Confessarium simpliciter scire, & audiuisse quæ ei detecta sunt per confessionem: quia scit saltem & audiuit vt Deus: negamus autem scire vel audiuisse rali scientia, vel auditione quæ sufficit ad reuelandum: quæ quidem inter se minime repugnant; vt nec illa duo ( quorum prius est communi omnium Catholicorum sententia receptum ) quod Christus omnia non modo præterita & præsentia; sed etiam futura possibilia cognoscat: tanquam plenus gratiæ & veritatis, vt esse dicitur Ioann. cap. 1. Posterius verò, quod Matth. 13. ipse Saluator de se ait, nouissimum ac tremendum iudicij diem minime nosse: quia quantum illi nouerit simpliciter, sicut alia futura; non tamen ad reuelandum alijs. Ita annotat post Archidiaconum Nauarr. in sequent. num. 143. vt & Sotus in eodem artic. 5. col. 15. Consequenter col. 17. admonens, quod si poscente tyranno, vel improbo Christiano. Num Petrus confessus sit se certum quid fecisse: quia sine mendacio respondere non potest non fuisse confessum, debere repellere talem interrogationem, tanquam aperte alienam à religione, dicendo non esse sibi fas quidquam de talre loqui. Ad vitandam autem suspicionem, vel furorem interrogantis, & ad sibi, vel Pœnitenti cõsulendum: respondere potest sine mendacio ( vt alijs in eam sententiam citatis habet Suarez. in cit. nu. 7. ) se nihil tale audiuisse in confessione, subintelligendo tacite, nihil quod possit alteri dicere.

23. **O**ctauum est (de quo consequenter Nauarr. & latè Sanchez in lib. 3. de matrimonio disput. 16. atque alij quorum me-

mini Henriquez in præced. §. 5. lit. V. ) posse Confessarium eos matrimonio coniungere, inter quos legitimum impedimentum esse nouit ex confessione; vt si quis confessus sit se cognouisse carnaliter sororem illius cum qua vult matrimonium contrahere: quod Parochus ex confessione tantummodo sciens, publice petenti coniungi, nequit id ei negare ob impedimentum sic cognitum: argumento cap. Si Sacerdos. De Offic. Ord. Pari ratione Parochus ei quem scit ex confessione excommunicatum esse, vel in peccato aliquo mortali permanere, non potest Eucharistiam negare petenti eam publice, & coram alijs, ne reueletur confessio. Quod locum etiam habet, si Sacerdos tale quid extra confessionem secrete nosset, iuxta idem cap. Si Sacerdos. & cap. Cum non ab homine De sent. excommunicationis. & rationes quas habet Nauarr. ad c. Sacerdos De pœnit. dist. 6. n. 24. & 85.

24. **H**is quo ad confitentem, addendum est, eadem ratione qua Confessarius ( quia non scit vt homo quæ in confessione audiuit ) potest interrogatus negare se ea scire; sic ipsum confitentem ( quia nihil ei dixit vt homini ) posse negare, etiam cum iuramento, se nemini id dixisse tanquam homini. Quare Sacerdoti interroganti de eo quod audiuerit in confessione: Nonne hoc mihi dixisti? Pœnitens respondere potest audacter, & negare; Nihil tale tibi dixi, ex Soto in cit. ar. col. 17. & in sequent. art. 6. col. penult. Qua de causa idem non immerito reprehendit Superiores qui aliquando bono quidem zelo ducti, sed imprudenter querunt scire extra confessionem, quæ subditi in confessione declararunt. Nec enim licet Pœnitentem extra confessionem inducere ad inuendum sermonem de ijs quæ dixit in confessione, aut etiam minus benignam faciem, quam prius, eidem ostendere: quia ( inquit Sotus ) illud est genus quoddam reuelationis sigilli, & exprobrationis peccatorum: quam repellere potest Pœnitens negando quidquam tale illum aliquando à se audiuisse.

CAPVT TERTIVM.

De illis qui tenentur seruare sacramentale sigillum.

SVMMARIVM.

25. **S**acramentale sigillum seruare tenetur, non modo Confessarius, sed etiam quicumque alius audiuerit dicta in confessione.
26. **I**dem siue audiuerit ad modum Confessarii ( vt is qui bona fide præteritur Confessarius idoneus, nec est reueras; itemque interpret ) siue a laratione, vt quia casu, aut etiam malitiose audiuit, vel it reuelatum est.
27. **S**olutio obiectiois, quod à iure soli Sacerdoti prohibeatur reuelatio confessionis.
28. **O**bligatio seruandi sacramentale sigillum non tollitur ex eo, quod Confessarius reuelarit de licentia Pœnitentis: aut malitiose fecerit potestatem diuulgandi.
29. **N**on licet Superioribus ex noticia per confessionem habita procedere ad inquirendum in foro externo de criminibus auditis: & quomodo liceat in foro interno.
30. **I**dem iudicium est, si non per confessionem quidem, per viam tamen confessionis cognouerit, vt ex scedula in qua Pœnitens scripsit confessionem suam.
31. **N**ulla ratione licet laico iudici contra eum procedere ex noticia orta ex sacramentali confessione; est generaliter monitus de periculo imminente rei publicæ, non prohibeatur vigilare, & in insidias criminosis tendere.
32. **N**on prohibetur Superior attentior fieri & vigilantior circa crimina audita, dummodo nullam de illis auditis det alius occasionem suscipiendi.
33. **Q**uando possit, vel non possit Confessarius in electione negare suffragium illi, quem ex sola confessione cognoscat indignum iudicatum dignum, si confessionem ipsius non audiisset.
34. **G**raue peccatum committitur non modo reuelando, sed etiam audiendo confessionem, nesciente aut inuito confitente.
35. **Q**uando peccet Pœnitens reuelando pœnitentiam, aut consilium datum à Confessario.
36. **Q**uæ ratio peccetur reuelando Pœnitentiã aut consilium datum à Confessario, eadè etiã peccatur reuelando alia que voluit seruari secreta.
37. **R**euelare licet secretum natura, bono publico, aut priuato id exigente: & cur.

25. **T**heologi omnes ad vnum ( quod notatum est à Navarr. tum ad cap. Sacerdos de penitent. distinct. 6. num. 42. tum in Enchir. cap. 8. num. 4. ) consentiunt, non solum Sacerdotem, cui facta est confessio, teneri ad eam celandam: sed quemcumque etiam alium qui eandem licite, vel illicitè, mediare, vel immedia. è audierit; siue Clericus sit, siue laicus; siue vir, siue femina. Ratio tanti consensus aperta est ex supradictis. Illi enim omnes tenentur celare confessionem, per quorum detectione non redderetur odiosa, & homines ab ea retraherentur. At si Penitentes scirent aliquos tales, possent licite confessionem revelare, cum simul sciant multos posse de facto audire, ne forte cõtingeret se audiri, aversa rentur confessionem. Accedit quod res ad quemcumque transeat, cum onere suo transeat: cap. Ex literis de Pignoribus. & cap. Pastoralis. De decimis. A: Confessio habet illud onus annexum, ut omnino taceat debeat, simul acita facta est, ut Sacramentalis censeatur (sicut censeatur cum facta fuerit animo accusandi se Deo de proprijs peccatis coram Sacerdote, tanquam Iudice constituto à Christo ) quantumcumque absolutio non sequatur, iuxta antedicta nu. 13. Quare ad quemcumque peruenit Sacramentalis confessio, cum tali suo onere peruenit.

Qui prater Confessarium tenentur servare sigillum Sacramentale.

## S E C T I O I.

26. **H**inc, prout expresserunt Navarr. in Enchir. cap. 8. num. 7. & Sylvest. verbo Confessio. 3. num. 1. prater Confessarium, & eam cui bona fide confessio fit accusando se de peccatis, tanquam Confessario idoneo, qui tamen non est (& per consequens nec confessio ei facta Sacramentalis est: de quo præc. l. num. 6. ) tenentur sigillum Sacramentale servare: primo interpretes, per quem linguæ ignarus confitetur Sacerdoti, cum quo ille in hac re, una persona reputatur, ut ex Richa. habet Sylvest. Secundò is qui seu casu, seu infidioso aut dolose alicuius confessionem audit. Tertio is cui causa petendi consilij, vel libidine detrahendi revelata est confessio audita. Ad hos enim, & huiusmodi alios, ut & ad Prælatos, à quibus petita est facultas absolvendi à casu reservato, & ceteros quibus Confessarius quoquo modo secretum revelaverit; confessio peruenit cum suo onere de ea omnino tacendi. De quibus singulis & auctores & rationes habet Suarez in anteq. disput. 33. sect. 4. Sufficit autem nobis antea positum fundamentum: quod reverentia Sacramenti Penitentia exigit, ab omnibus servari secretum, sine quo usus illius fit odiosus & difficilior.

27. Neque est quod quis opponat, soli Sacerdoti impositum esse à iure obligationem celandi auditam confessionem. Nam, ut rectè notat Navarr. ad cit. cap. Sacerdos. num. 46. lex illa divina de servando confessionis secreto, quæ colligitur ratiè ex confessionis institutione, non consistit in eo specialiter, ne vili reveletur cuiusquam confessio Sacramentalis; ita ut obligatio servandi secretum confessionis, cadat primario non in personam, sed ipsam confessionem: sicut obligatio legis de conservando pignore, non cadit primario in personam cui traditur, sed in rem quæ traditur pignori: ita ut ad quemcumque ea perueniat, cum suo pignoris iure & onere transeat. Nec item refert quod Ecclesia soli Sacerdoti confessionem auditam revelanti, penam imponat. in cap. Sacerdos. De Penit. distinct. 6. & in cap. Omnis utriusque sexus. De Penit. & remiss. quia, ut rectè quoque addit ibidem Navarr. et si in hac re Confessarius & alij non sint quoad omnia similes, sunt tamen quoad primariam qualitatem: quandoquidem, ut dictum est, ad omnes similiter confessio audita transit onere suo illam celandi. Et quamvis soli Sacerdoti frangenti sigillum confessionis, Ecclesia penas expressè imponat, quia illis frequentius, quam alijs facultas adest revelandi; non facit tamen alios à pena immunes: etsi relinquat eam inderminatam. De qua re idem Navarrus consequenter numer.

47. 48. 49. 50. itemque alij quos Henricus in sua summa lib. 6. c. 20. §. 1. lucra A.

De ampliationibus & restrictionibus obligationis servandi Sacramentale sigillum.

## S E C T I O II.

28. **P**orro amplianda est prius proposita doctrina, ut procedat quoad eos etiam, quibus Confessarius de expressa Penitentis licentia, aliquid de eius confessione revelatur. Ratio est, quia per talem licentiam non datur nova notitia, sed habita per confessionem manens sub eodem sigillo, extenditur ad tertium: ita ut talis, ad quem peruenit, teneatur servare ipsum sigillum, quod est quasi depositum quoddam Penitentis, quod non licet sine ipsius voluntate contingere. Ipso autem concedente, licet quidem; non tamen amplius, nec alio modo quam ipse velit: de quibus plenus Suarez in eadem disput. 33. sect. 5. num. 9. & deinceps. Amplianda est secundò, ut procedat quantumvis Confessarius, aut alius ex supradictis, qui confessionem audiunt; dicat alteri; hoc & illud didici ab hoc & ab illo per illorum confessiones, quæ tibi revelo non ut celes, sed magis ut publices. Nam nec tunc alter ille potest revelare; quia licet non teneatur servare secretum, ratione modi quo ei revelatur ut publicetur; teneatur tamen ex ipsa rei natura; quæ omni iure exposcit secretum servari, velit nolit is qui revelat; velis cui revelatur. Hanc ampliationem attingit Navarr. in præced. num.

29. **A**mplianda est tertio, ut Superior per notitiam quam habuit in confessione Sacramentali, non possit moveri & procedere in foro externo, ad inquirendum particulariter de criminibus auditis, pro illis corrigendis. Quod Sotus in 4. distinct. 18. quest. 4. art. 5. sub finem probat: quia ius inquirendi nascitur ex delicti vel infamiae, vel semiprobatone. Quod autem in confessione cognoscitur, neutrius earum rationem habet, ut de se manifestum est. Quoad forum internum autem potest moveri & procedere ad inquirendum, iuxta illud quod ex Angelo adfert Navarr. in Enchir. cap. 8. num. 15. §. 22. Confessarium non facere contra sigillum, qui ex Petri confessione intelligens Ioannem fuisse alicuius criminis coplicem, si de eo Ioannem ipsum dum confitetur interroget, etiam in particulari; dummodo ille nequeat suspicari Petrum id ipsum crimen in confessione expressisse ( ut quando tale peccatum est, de quo solent Confessarii interrogare ) nec ullam omnino mentionem facit Petri.

30. **A**mplianda est quarto ex Soto ibid. consequenter, ut procedat non modo cum Prælatum rem novit per confessionem, sed etiam cum per viam confessionis: ut si subditus perdidit schedulam, in qua scriptam habuit suam confessionem, idemque Prælatum invenit: nam nec tunc potest procedere ad inquisitionem faciendam; quia confessio tam sacra est, ut illud etiam quod ad eam ordinatur, sit perpetuo silentio sepependum.

31. **A**mplianda est quinto, ita ut quod in hac re dicitur de Prælati Ecclesiasticis, intelligendum sit etiam de Prætoribus & Iudicibus secularibus. Quamvis enim (inquit Sotus consequenter) nequissimi Sacerdotes duo vel tres, crimen quod in confessione audierunt Iudici deferant: ipse tamen sciens non alia via id eis innotuisse, quam per Sacramentalem confessionem, nullatenus potest ad ullam inquisitionem illam procedere; quia tale quid habendum non est pro infamia, aut pro semiprobatone. Unde multò minus potest illud in scriptis suscipere, aut virtute illius reum capere, vel interrogare. Immo si bona fide in eiusmodi causa Iudex cõceptit procedere, cum primum cognoverit certò, notitiam rei ortum habere ex sola Sacramentali confessione, debet cessare, & facta omnia pro infectis habere; alioquin factilegus erit processus, ut pote quo res valde sacra transferatur ad usum actionis prophanae, & Sacramentum redditur odiosum.

32. **O**bjicienti autem inde sequi, quod si Iudex per viam confessionis didicisset grande aliquod scelus sequenti nocte perpetrandum in civitate, non posset in insidias rendere ad cõprehendendos reos, ut contra eos ex lege agat. Respondet Sotus in fine cit. art. 5. Si Sacerdos Iudici reos manifestaverit, illum non posse contra eos procedere, nec eorum crimine patefacere. Sin tantum monuerit in genere, ut vigilaret; super verberem, eo quod illa possit detrimentum aliquod capere,

non impediãt functione sui officij. Quod posterius aduer-  
te habere quidem probabilitatem in speculatione: amen in  
praxi ob periculum offendendi sacramentale sigillum, vide-  
ri abstinentum ab eo: præsertim cum Christus Sacramen-  
tum penitentia: instituerit tantum, ad medendum pecca-  
toribus in foro conscientia: Ex qua institutione intelli-  
gitur nullam esse obligationem suæ Confessarij, siue  
alterius ob notitiam habitam ex Sacramentali confessio-  
ne (egrediendo scilicet extra illius fori limites) teneri  
ad peccatorum emendationem. Vide. dicta in præceden-  
tibus. 15.

Restringenda autem est eadem doctrina, vt non impe-  
diat (prout Sorus addit) Superiorem, dum visitat tempore  
solito, ex notitia per confessionem habita, attentionem fieri  
ad tale crimen: maximè si vergat in damnum publicum:  
& attentius vigilare super gregem suum: non tamen extraor-  
dinario modo, ex quo oniri possit suspicio: sed modo à suis  
potissimum prædecessoribus usitato. Pro quo facit quod  
nihil vetet, quominus per confessionum auditionem ho-  
mo prudentior fiat, & notitia, quam inde acquirat, lumen ei  
præbeat in alijs rebus agendis. Sicut quamvis Iudex debeat  
iudicare secundum allegata & probata, & non secundum  
propriam scientiam, cap. Pastoralis §. Quia verò de officio. De leg. &  
cap. iudicet. 3. questio. 7. & lege illuc. §. veritas. De officio Provisi:  
ipsa tamen priuata scientia Iudicis multum iuuat illum ad  
percurtandum diligentius negotium: quod ab omnibus  
admitti notat ad citatum cap. Sacerdos. numero 149. Nauar-  
rus.

Restringenda est secundo (iuxta Nauarr. in præced. numero  
146.) vt non impediãt, quin Confessarius in electione præ-  
lati, possit suum suffragium negare illi, quem per omnes al-  
lias vias habetet tanquam optimum: si per ipsius confessio-  
nem solam cognoscit quod malus indignusque sit. In quam  
sententiam plures alios refert Sanchez in libro tertio De ma-  
trimonio disputat. 16. num. 6. Ea autem, vt Suarez monet in eadem  
disputat. 33. sect. 7. num. 12. non procedit quando electio fuerit  
publica, & persona talis que communiter existimatur di-  
gna, cui elector suum suffragium deferre debuerit: quia tunc  
potest generari suspicio alicuius criminis cogniti per con-  
fessionem; quod (propter reuerentiam Sacramenti, & ne  
tanquam ex probro & noxia peccati detecti obiectione,  
inde ex os illius visus reddatur) planè vitandum est: hoc que  
sine ti more penæ suspensionis decreta: De elect. cap. Cum in  
cunctis §. finali, aduersus eum qui eligit indignum. Nam, vt  
ex Palud. post Sorum idem Suarez addit; ne quidem in ele-  
ctionibus occultis locum habeat: talis pena quoad propo-  
situm casum: quia leges que penas eius generis imponunt,  
semper intelliguntur secundum scientiam communem &  
cognitionem humanam. Habita autem per confessionem  
Sacramentalem notitia, est & priuata, & diuina. Accedit, ad  
talis medijs usurpationem, opus esse tanta prudentia & cau-  
tione, tot que circumstantias requirit, vt difficillima sit in pra-  
xi: adeo vt ad illam (etiam si alias licitam) non teneatur quis,  
prout in seq. n. 7. Sanchez explicat.

Cæterum de peccato, quod in hac ipsa re committi-  
tur, aduertendum est primò, graue peccatum esse ad-  
uertenter & ex proposito, audire alterius confessionem  
ipso nesciente; & adhuc grauius audire alijs reuelare, prout  
ostendit Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Penit. dist. 6. numero 113. &  
114.

Aduertendum est secundo (quod communiter Doctores sen-  
tire notat Suarez in præced. sect. 3. num. 1.) materia paruitatem in  
peccato veniali, non obitare quin reuelatio illius in confes-  
sione detecti, sit mortalis: quod Sorus probat in cit. art. §. col. 7.  
quia licet infamare hominem de veniali cognito extra con-  
fessionem, non sit peccatum, aut cer. è tantu sit veniale: mor-  
tale tamen est reuelare illud quod per solam confessionem  
Sacramentalem cognitum est: quia etiam si in eo non inferatur  
proximo grauis iniuria, inferatur tamen Sacramento, red-  
dendo confessionem venialium odiosam: sicut peritium in  
re leui mortale est, ob iniuriam que grauis inferatur, non  
quidem proximo, sed testimonio diuino: adhiben-  
do scilicet Deum in testem fal-  
sitatis.

De Penitentis obligatione celandi dicta sibi à Confessario.

SECTIO III.

CONFITENTEM quoque tenet celare quæ Confessarius  
ei dixerit, monet idem Nauarr. in seq. n. 115. quoniam Sa-  
cramentale sigillum est quidem solius confessionis, quæ fit à  
solo Penitente: amen dicta à Confessario ad forum Dei spe-  
ctant: ac proinde (inquit ille post Palud.) peccat qui detegit con-  
fessionem, vel penitentiam, vel alia iniuncta sibi à Confessario:  
ex quibus ipse qui iniunxit, vel consuluit efficiatur ridiculus:  
aut etiam (ex Angelo in verbo Confessio ultimo n. 18.) odium aliquo-  
rum incurrat: aut denique ipse met reuelans iacturam suæ fa-  
mæ sine vtilitate vlla faciat. Secus verò esset, si neque in pro-  
prium confitentis, neque in Confessarij præiudicium cede-  
ret talis reuelatio: quia tunc nihil esset quod ipsum prohibe-  
ret reuelare, ex eodem Angelo ibid.

Addit Nauarr. ex Adrianis: idem quod dictum est de Pen-  
nitentis consilio, dicendum esse de omnibus alijs quæ Confes-  
sarius ea mente dixit confitenti, vt inter ipsos essent secreta.  
Ratio est, quia tale secretum spectans (vt dictum est) ad for-  
um Dei: eam saltem vim habet, quam illud ad quod tenetur  
is cui aliquid sine confessione dictum est sub sigillo confes-  
sionis; qui frangens fidem (etiam si non faciat iniuria Sa-  
cramento, quia non est ei dictum à confitente Sacramenta-  
liter) grauius peccat: non tantum ob violatum ius naturæ de  
seruando secreto: sed etiam ob violatum pactum, quod ex ad-  
dita conditione inducit no uum vinculum, augeque obliga-  
tionem seruandi secretum ipsum, vt annotat à Victoria De Sa-  
cram. n. 190. Accedit, quod alijs citatis habet Angel. in seq. n. 22  
peccare mortaliter non modo eum qui confessionis; sed etiam  
qui naturæ sigillum frangit: ita vt cum quis alicui ali-  
qua dicit, sine exprimat se ei dicere sub sigillo secreti, siue  
non exprimat, is cui dicitur intelligens sibi dici sub secreto,  
teneatur celare; iure scilicet naturæ obligante ad proximum  
non lædendum in fama, & ad fidelitatem promissamque ei  
seruandum: si que reuelat, incurrat in crimen prodicionis.

Nisi id faceret præcipiente Superiore; cum res est, quæ  
vel in commune, vel alicuius priuatum damnum vergit: vt si  
cognitum est, ipsum feminas in confessione sollicitate ad ma-  
lum: quia tunc denunciari potest, quemadmodum notat Hen-  
ricus in lib. 6. sus. summa cap. 22. in fine. Ad quod illustrandum fa-  
cit quod in Codice de confessione habet Medina q. 50. sub fin  
obligationem fidelitatis esse quidem de iure naturæ, sed cel-  
sare in eo casu, in quo non potest aliter communibus, vel pri-  
uatis damnis obuiri, nisi reuelando secretum: aut peritus  
non dicatur quis, per hoc simpliciter, quod arcanum reue-  
lat. Adde quod nemo possit se ad aliquid per promissionem  
obligare, contra Reip. aut alicuius particularis corporalem,  
aut spirituale salutem: quam habere commendatam, cha-  
ritas obligat.

CAPVT QVARTVM.

De iis quæ sub Sacramentale sigillum cadunt, seu quorum  
reuelatione ipsum frangitur.

SVMMARIVM.

- 38 sub Sacramentale sigillum cadunt non modo peccata declarata in  
confessione, sed etiam alia, que in eorum notitiam possunt alium ad-  
ducere.
- 39 Etiam si non fuerit necessarium ea exprimi in ipsa confessione.
- 40 Item quæcumque verecundiam, vel detrimentum possunt adferre  
Penitenti.
- 41 Item persona à Penitente detecta si reuelatio sit in illius detrimen-  
tum.
- 42 Non est illicitum prodere peccata declarata in confessione, dum mo-  
do persona nullo pl. in e modo prodatur.
- 43 Peccatum mortale nullo modo licet prodere: veniale ve. d. solum-  
modo in genere. in specie enim, quantumcumque leno reuelare, sa-  
criterium est mortale.
- 44 De publico peccatore melius est tacere, quam dicere quod confessus  
sit de suo peccato & absolutus.
- 45 Quatenus dicere liceat, tale peccatum aud. in confessione.
- 46 Parcissime loquendum est de auditis in confessione, etiam de iis quæ  
non cadunt sub Sacramentale sigillum.
- 47 Cauere debet Confessarius ne petendo consilium Penitentem dere-  
gat sine ipsius licentia.



- 48 Locutiones aliquot quibus sigillum frangitur, quia subindicant peccatum mortale detectum in confessione.
- 49 Confessarius cui confiteatur aliquis sine emendatione, quid faciet, si ei obiciatur quomodo salem audiat.
- 50 De vno id dicens, quo indirecte reuelatur alterius peccatum, aut surgens ex confessione ad consulendum alium praesentem, frangit sigillum.
- 51 Quid agere debeat vocatus ad ministrandum Eucharistia sacramentum peccatori publico.
- 52 Observatio de administranda, vel neganda Eucharistia peccatori.
- 53 Aliquot locutiones, quibus sigillum Sacramentale non frangitur, eo quod nihil indicent quo ad peccatum mortale, nec quo ad veniale in particulari.
- 54 De aliquo, qui nesciri vult, dicere non potest Confessarius, Talis est mihi confessus.

**S**upposito fundamento, de cuius firmitate satis constat ex supradictis: quod ea omnia sub sigillo Sacramentale cadant, quorum detectione confessio redderetur fidelibus odiosa: aliquot propositiones constituemus, quibus ostendatur quae sint istius generis.

38. Prima est, quam ad cap. Sacerdos. De poenis. distinct. 6. nume. 51. Nauarrus habet, alique communiter admittunt, vt Suarez nosat dist. 33. sect. 3. num. 5. sub hoc sigillum cadere non solum peccata mortalia & venialia, sed etiam eorum circumstantias, siue necessarii confitendas, siue non necessarii confitendas, & alia omnia quae etsi peccata non sunt (imo virtutes forte sint, ex Med. in Cod. de confess. q. 27. sub initium) eis tamen detectis, ille cui deteguntur possit directe vel indirecte adduci in cognitionem, qua confessum perpetrasse aliquid certum peccatum intelligeret. Ad cuius propositionis confirmationem, praeterquam quod inde quoque redderetur confessio odiosa, quia Poenitentes impedirentur confidenter loqui: faciunt verba c. Sacerdos. De Poenis. dist. 6. Ante omnia caueat, ne de iis qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est. Et illa c. Omnis viri, siue sexus. De Poenitent. & remiss. Caueat ne aut verbo, aut signo, aut alio quouis modo prodatur peccatorem.

39. Procedit autem haec propositio, vt etiam in citat. num. 5. notat Suarez, non modo cum ad peccatum declarandum necessarium fuerit tale quid in confessione exprimi, sed etiam cum fuerit vtile; imò quoties in eum finem Poenitens (etiam si in eo forte agat minus prudenter) aliquid dixerit, quod est in confessione tolerandum habita ratione communis modi confitendi hominum, multa saepe dicentium animo declarandi sua peccata, quae nihil sunt ad id necessaria, imò interdum neque vilia. Cum ergo simplices & imprudentes auertendi non sint à confessione, sicut nec alij, tacenda sunt quae cumque ab eis dicuntur ad explicationem suorum peccatorum, vt possint secure, & sine timore reuelationis confiteri.

40. Secunda propositio est, quam ex Richardo habet Syluest. confessio 3. quae. 2. Quidquid per se, vel per accidens, directe, vel indirecte possit verecundiam, vel confusionem, vel malam suspicionem, vel aliud nocuum generare Poenitenti ex peccato commisso, cadere sub idem sigillum. Vnde si Confessarius ex alicuius confessione intelligeret ipsum esse parentibus sordidis prognatum, vel aliud quod infamiam generaret, id perinde tacere reueretur, ac peccatum, quemadmodum exprefit Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. col. 7. & ratio aperta est: quia ex tali reuelatione confessio redderetur odiosa.

41. Tertia propositio est, quam ibid. confeg. habet idem Sotus, non solum personam Poenitentis cadere sub sigillum confessionis, sed etiam quamcumque aliam, in ipsa confessione detectam, siue ad declarandum aliquam circumstantiam necessariam, siue etiam imprudenter eam nominando sine necessitate: si quidem fama & honor illius detrimentum pateretur ex reuelatione. Hoc ex eo patet, quod inde etiam fideles possent auocari à confessione, & ab illa abhorre.

*Declaratio rationis, quae peccata detecta in confessione cadunt sub Sacramentale sigillum.*

#### SECTIO PRIOR.

**Q**uarta propositio esse potest, peccata cum aliqua limitatione, non autem omni ratione cadere sub sigillum Sacramentale. Quae explicatur & confirmatur per ea quae habet Medina in Cod. de confessione q. 47. in principio.

Primum est, licitum esse peccata in confessione cognita proderet, non prodendo personam directe vel indirecte, neque vilo subequentem scandalo: vt si Confessor calum, quem in confessione cognouit, communiceet alicui ad finem sciendum, an sit reseruat, vel non; an sit peccatum mortale, vel non; aut sciendi quae pro illo imponenda sit poenitentia.

Secundum est, licitum esse dicere in genere peccata per confessionem cognita, etiam personam quae confessus est exprimit: vt si Confessor dicat, Petrus confessus est sua peccata: sic enim dicens, nec Petrum infamat, nec confessionem odiosam reddit, cum omnes sciant neminem nisi sua peccata confiteri debere: nec à peccatis quemquam esse profus immunem, cum ex 3. Regem cap. 8. Non sit homo qui non peccet. Si Sique dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ex 1. canonica d. Ioannis cap. 1. Eadem ratione licitum est dicere, Petrus confessus est sua peccata venialia, dummodo caueatur (quod per accidens sequi potest) ne per id intelligatur ipsum omnimode mortali confessionem: vt enim confessio de se est tantum peccatorum; sic minimum, est peccatorum venialium: de oque vt illud, sic & istud dicere non est magis contra sigillum Sacramentale, quam simpliciter dicere, Petrus est mihi confessus: quod nullus reprehendit. Dicere autem, Petrus est mihi confessus sua peccata mortalia, est reuelatio confessionis, vt recte ait Sotus in cit. art. 5. col. 8. quia homo potest sine mortalibus confiteri. Vnde peccata omnia, de quibus facta est confessio, cadere sub sigillum Sacramentale, verum est de mortalibus tam in generali, quam in particulari; de venialibus vero, solum in particulari.

Tertium dictum Medinae est; licitum esse Confessori dicere simul peccatum in particulari & personam confitentem, si peccatum sit publicum & omnibus notum: vt si de publica meretrice dicat, Ista confessus est de sua turpitudine & a me absoluta: per quae significat duo, nempe illam esse confessam, & esse meretricem: quorum prius occultum est quidem, sed eius reuelatio cadit in laudem confitentis, & ideo non reddit confessionem odiosam. Posterius vero iam ante notum fuit omnibus, vnde nec confessio ex eo redditur odiosa. Verum istud non est perinde certum, ac praecedentia. Nam Caiet. in verbo Confessor. tale quid licere negat; quia etsi peccatum illud est absolute notum omnibus; occultum est tamen, prout suppositum Ecclesiae Clauibus, quia nescitur esse facta de eo confessio. Quam Caiet. opinionem Sotus in seq. col. 9. probabiliorum iudicat, & Nauarr. ad ca. Sacerdos. De Poenis. dist. 6. n. 62. absolute approbat. Nec dubium est quin tutior sit, & in praxi seruanda, vt Medina ipse non obscure indicat subiungens; quia ex suis illis dictis, & similibus merito in praxi timeretur scandalum, satius esse tacere, nisi forte aliqua necessitas cogat.

Similiter quamuis probabilitate non careat, quod addit Sotus, ibidem: & sequitur Henriquez pluribus alitis citatis lib. sexto cap. 21. §. 2. licitum esse dicere de supra dicta meretrice ista confessio est, & beneficium absolutionis obtinuit; quia tale dictum generale est: in praxi tamen non est facile viarandum; quia licet ad negandum per illud frangi confessionis sigillum, dici possit admittere interpretationem, ex qua Meretricis dicta mulieris, minime indicari intelligatur: vt v. g. supponendo quod ea forte iam fecisset terti confessionem de tali peccato; aut quod ex aliqua infirmitate nequirit facere integram: quia tamen communiter homines non interpretantur cum tali simplicitate aliorum dicta, existimo in praxi seruanda esse, quod ex Caiet. habeat Nauarrus ibidem & Victoria de Sacramentis num. 186. vt Confessarius, qui audit confessionem publicorum peccatorum, licentiam ab ipsis petat, de iisdem peccatis confessis loquendi ea quae pertineant ad ipsorum honorem, & cedant ad proximorum utilitatem; qualia sunt, quod confessi sint talia peccata, eaque reliquerint, & veniam de scandalo, per illa dato petierint, ac mandata restituendi expleuerint. Quod autem Conc. Trident. sess. 24. cap. 8. de reform. praecipit, vt imponantur poenitentiae publicae ijs qui publice peccatum cum aliorum scandalo, non est referendum ad forum internum, vt recte ostendit Nauarrus. in Enchir. cap. 8. numer. 10. §. 11.

43. Adhuc ad traditam propositionis explicationem & confirmationem facit illud quod ex communi Theologorum sententia in 4. distinct. 21. Nauarr. adfert ad memoratum cap. Sacerdos. numero 75. non esse confessionis reuelatorem qui diceret, Tale vel tale peccatum audiui in confessione, dummodo tantam cautela id faciat, vt nullatenus in notitiam eius qui peccauit deueniri possit; vt si Confessarius in Hispania educatus docens in Gallia dicat, De tali peccato mihi aliquando in Hispania facta est confessio. Probat hęc sententia, quia in eo casu cessat ratio precepti de tacendo peccato audito in confessione; quia est ne prodatur qui peccauit, vnde is conciperet confessionis odium, omni ratione vitandum: etiam tunc cum ad habendum consilium, necessitas cogit tale peccatum manifestare, iuxta expressum textum in cap. Omnis viri, que sexus. De Penitent. & remiss. Cessante verò legis ratione, cessat quoque eius obligatio: sicut & separata anima à corpore vis ipsius concidit. Attamen tale aliquid dicere sine fructu (inquit Nauarr. in sequent. num. 79.) peccatum est saltem veniale; non quidem tanquam violatio secreti, sed tanquam verbum otiosum, aut etiam mortale, tanquam verbum scandalosum, quando simplices putant reuelari confessionem aut communitas aliqua grauitur infamaretur.

44. Cur fructu verò censi potest dicere; vt idem addit num. 80. consequenter; quando quis, ad aliorum accusationem iacet certa peccata, aut peccatorum circumstantias non colere in confessione detegi ab aliquo certo hominum genere: Confessarius autem ipse contrarium asserit ex vtu quem habet audiendi confessiones. Idem indicandum est contingere, quando Confessarius vbi & quando oportet, siue docendo in schola, siue concionando, siue consultando incidere in mentionem peccati enormis, quod aliter, quam per confessionem scire dedecus ei esset: ad tollendam enim opinionem malam, quam quis de ipso conciperet, posset sancte & honeste dicere (vbi peccator non cognosceretur) se talem notitiam ex auditione confessionis habere, etiam quam rarissime potest (vt etiam consequenter addit Nauarr. num. 81.) id fieri debeat; potissimum à viro leui de quo præsumi facile possit, quod minus fidus secreti confessionis custos sit.

46. Ceterum licet communis illa sententia, tanquam vera in speculatione, nonnunquam in praxi locum habere possit: ramens, vt monet idem Nauarr. in sequent. num. 28. ex Panormit. ad citat. cap. Omnis viri, que sexus, notabili vltimo, contrarium ordinari seruandum est, & quam parcesimè loquendum de auditis in confessione; non tantum illis quae a me positum est cadere sub sigillum sed etiam de alijs quae aliquando dicuntur in confessione, nullo modo inscriuenda accusationi peccatorum: vtpote quae nec peccata sunt, nec circumstantiae peccatorum, nec in cognitionem peccatorum ducunt: quod ex D. Thoma notat Syluest. Confessio 3. quæst. 2. & ita omnes docere habet Suarez in cit. sect. 3. num. 10. Addendo id esse ob scandalum, & prouidentiam quae posset ex consuetudine accidere. Quamquam tamen secluso scandalo Confessarius non prohibetur de eis loqui, nisi id vergeret in damnum Penitentis: aut Confessarius ipse intelligeret talia dicta esse à Penitente sub secreto, aut certe peccatum eiusdem posset inde colligi; sicut potest si duorum, quos ille audiuit, vnus laudet castitatem: quia videbitur insinuare in altero inesse aliquid vitij contrarij: prout habet Nauarr. in preced. num. 56. Hic obiter aduerte, ne quidem cum alijs, quos Confessarius scit totum nosse, licitum esse loqui liberè de ijs, quae non aliter nouit, quam ex confessione: quia notitia illa aliorum, ita est extranea sigillo confessionis, vt ipsum in nullo relaxet: adeo vt sic loquendo, fiat Sacramento iniuria, etiam si Penitentem nulla fortè fieret: vt quia in bonum ipsius fieret, verbi gratia, commendando ipsius emendationem. Quid autem iuris sit, si aliunde, quam ex confessione cognouerit, dicetur in proximè sequenti capite.

Documenta ex antecedenti deducta.

SECTIO POSTERIOR.

47. Ceterum multa in particulari solent Doctores ex traditis propositionibus inferre, præsertim Nauarr. ad idem. Sacerdos. a num. 53. & in Enchir. cap. octauo à num. 8. quae referre

non erit abs re, tanquam documenta practica ex iisdem propositionibus deducta.

47. Primum est, Confessarios cautissimos esse debere in petendis consilijs super peccata audita in confessione; & in confitendis peccatis, quae ipsi met commiserint audiendo vel absolueno Penitentes; ne incauti peccatorem de aliquo peccato sibi confessum, detegant. Ac proinde si rei grauitas qualitasque exigat (quod Nauarr. monet loco citat. num. 83.) vt consilium alterius exquirendo detegi debeat peccator, ab hoc petenda est facultas cum illo altero communicandi, ipso qui peccauit nominato; eo quod non possit talis casus de-larari consultori, quin persona quae peccauit manifestetur: à qua manifestatione abstinendum esset, si ex ea nasceretur scandalum, aut notabile damnum immineret confitentis.

48. Secundum est, infractorem esse sigilli, qui dicit, Ille mihi confessus est grauia peccata, aut habuit casum reseruatum; aut à me dimissus est sine absolutione, quia per hęc peccatum mortale in illo indicatur, cum veniale nec graue dicatur, nec reseruari solet, nec absolutionem sacramentalem impedit. Neque refert quod ommissio absolutionis de se non manifestet peccatum mortale, cum ex pluribus alijs causis ea prouenire possit: siue ex parte confessionis, quae in plures dies interdum producit antequam absolutio detur; siue ex parte Confessarij, qui ex aliqua leuitate mentis, vel ex distractione non absoluit: siue ex parte Penitentis, qui Confessarium sibi non satisfaciendum relinquit non accepta ab eo absolutione. Hoc, inquam, non refert; quia nostra aetate ratio contingit propter tales causas non absolui confessum, frequentissime autem, propter aliquod peccatum mortale; quo ob ex ponitur absolutio; ita vt dicens se non absoluisse aliquem sibi confessum, statim auditorem adducat in suspensionem quod alter habuerit peccatum mortale, propter quod non sit absolutus. Quod notans Nauarrus ad idem cap. Sacerdos. numero 64. addit de se satis notum confessionis reuelatorem esse, dicentem non absolui talem, subiecta causa: quia est obstinatus, aut quia non vult restituere, aut quia non vult concubinam relinquere.

49. Ex quibus difficultas oritur de Confessario, cui iuratus, peccator aliqui publicus, ordinariè confitetur, sed non absoluitur, quia non habet firmum propositum emendandi se: quid facere debeat, si ei exprobetur quomodo talem audiat, possitne vel ad vitandam sacrilegij suspicionem respondere, se quidem audire, sed non absolueret. Cui difficultati satisfaciens Sotus in 4. distinct. 18. quæst. quarta, arr. 5. col. 9. ait in tali casu, & alio simili, non licere aliud dicere (etiam illo mendaciter tacente se absolutum, vt habet à Victoria de sacram. num. 186.) quam, Ipse confessus est mihi, & ego sum deus sum meo officio erga eum. Nisi fortè Penitens seipse proderet. Vt si hæreticus impenitens mihi confessus in carcere (inquit Sotus) postea rapiatur ad incendium proficens se in sua hæresi permanere, non est illicitum me fateri quod non absoluerim, maxime addita ratione quod publicus peccator non sit absoluenus, quousque satisfaciat publico scandalo. Quamquam propter periculum scandali, quia putare posset quis, id esse reuelare confessionem, consultius est, id esse quod prius respondere; *Functus sum meo officio*. Nam non tantum violatio sigilli, sed etiam illius suspicio propter scandalum, vitanda est à Confessario. Sicque merito Nauarr. in preced. num. 54. (quod etiam habet Henric. alius in margine cita. lib. 6. sua summa cap. 21. §. 6.) approbat quod à quodam dictum est, malefacere eum qui dicit, in ciuitate vel oppido vbi audiuit confessiones, grauia peccata committi, esse Sodomitas, vsurarios, incestuosos, &c. quia licet non reueletur confessio, si scandalizantur tamen simplices, putantes per id reuelari. Vnde quamuis talis non peccet contra legem de seruando secreto confessionis, peccat tamen contra legem de non scandalizandis simplicibus, datam Matth. 18. Adde quod iniuste infamet communitatem.

50. Tertium est, infractorem esse sigilli, qui audiuit duos vel tres, & de vno ait, Hic non habuit peccata mortalia, quia indirectè significat alios habuisse mortalia, inquit Nauarr. in Enchir. cap. 8. num. 9. Addens in sequent. num. 10. idem esse sententiam de eo qui confessione audita, statim consulit vi-

rum doctum præsentem, à quo quid agendum sit in aliquo casu querit, & illico se lit, vt Penitentem absoluat. Et ratio est, quia per id sufficiens ostendit se graue aliquid peccatum audiuisse: tum de iis quita de peccatis in confessione auditis loquuntur, vt audienti eis possint per coniecturas peccatorem deprehendere: tum etiam de eo qui diceret, ille bene confessus est, sed alterius confessio mihi non satisfacit: hoc enim de se indicat peccatum aliquod mortale cognitum ex confessione.

51. Quartum est (de quo Nauarrus consequenter num. 11. & ad citat. cap. Sacerdos num. 65. atque alij, quorum meminit Henric. li. 6. cap. 20. §. 4. lit. D.) vocatum ad Eucharistiam portigendam concubinario, vel usurario, vel alteri peccatori publico, non debere à Confessario petere An illum absoluerit; cum si veritatem aperte dicere non possit sine reuelatione confessionis, nisi de licentia Penitentis; aut si ipsemet illum audiuit, nec absoluerit; debere se perinde gerere, ac si nihil ex confessione scire; ideoque dicere: quia peccatum publicum debet propter scandalum, publicam penitentiam apud homines purgari; (ex Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 8. de reformatione, & ex cap. 1. de Penitent. & remissis, quousque publice constet te reliquisse peccatum, nõ debet tibi Eucharistia ministrari. Quoquidem modo non reuelat confessionem, quia proponit impedimentum habens locum etiam in eo qui verè Penitens, absolutus esset. Nam ei Eucharistia neganda est illam publice petenti; non quidem eo nomine (vt in preced. num. 86. mones Nauarr.) quod impediens sit; sed quod non constet de mutatio statum peccati, in quo ipsum fuisse palam est. Quam mutationem sibi tantum ex confessione notam Confessarius manifestare non potest: manifestaret autem dando ei Eucharistiam, cuius sumptio præexigit confessionem de peccato mortali perpetrato, si copia Confessarij habeatur, quemadmodum declaratum est in Concil. Trident. sess. 13. can. 11.

52. Obiter nota, quod in sequenti numero 101. & 102. ex Paludano habet Nauarrus, publicum peccatorem secretò quidem admitti posse ad sacram communionem post secretam Penitentiam, etiam ante publicam vitæ mutationem; non tamen publicè: quia quamuis necessarium non sit publicam penitentiam præcedere publici peccatoris admissionem ad communionem, oportet tamen publicè constare, quod ipse vitam mutauerit: vt censetur, tum alia ratione, tum si Sacerdos, cui confessionem fecit, de ipsius licentia (sine qua non potest) publicaret ipsum verè penitere. Nota etiam ab occulto quidem peccatore petente Eucharistiam satis esse intelligere, vtrum legitimè confessus sit (cui id affirmanti credendum est etiam si nulum testimonium afferat: ex super confessione in Extr. aug. communi. Inter cunctas. De Privilegijs.) à peccatore tamen publicò intelligendum esse vtrum deseruerit viuendi statum publicè malum. Quod etiam habet Nauarr. in preced. num. 85. addens nihilominus num. 86. id ipsum dictum de peccatore occulto, non impedire quin, vt vtile est, sic etiam rationi consonum sit, quod Parochi à suis Parochianis schedulam, allamve probationem aut indicium petunt; quo fides fiat ipsos esse confessos, dummodo tamen si dictam schedulam se perdidisse, aut aliquid aliud cauentur, quod à vero non adhorreat penitus, eis tandem credant, iuxta memoratam extranag. Inter cunctas.

53. Quintum est (de quo adhuc Nauarrus ad idem cap. Sacerdos num. 68. & sex sequentibus eum non esse confessionis reuelatorem, qui diceret, Audiui Petri confessionem, vel Petri peccata, vel Petrum absolui à peccatis, vel Petrum qui minutissimis suis peccatis, oneravit, vel in quo non epeccati peccati mortalis consensum; adde & quod habet Henric. lib. 6. suæ summæ. cap. 21. §. 1. Dedit ei leuem penitentiam. Illum datem signum contritionis absolui. Ratio est, quia aliquid horum dicens, nullum peccatum mortale siue in genere, siue in specie, nullumque veniale in specie detectum sibi esse significat; sed tantum se audiuisse confessionem, & dedisse absolutionem, quod fit etiam coram aliis.

54. Aduerte tamen quod consequenter admonet Nauarrus ibidem num. 71. non posse Confessarium prædicta usurpare, quando quis ita secretò ei confessus est, vt nolit id sciri ab aliquo: vt v. g. à suo Confessario ordinario, qui eo cognito su-

spicaretur graue peccatum subesse: tunc enim talia dicendo violaretur sigillum, si non confessionis, saltem naturæ; ad quod confessionem audiens se adstrinxit, aut expressè, si rogatus est à Penitente ne mentionem de ea re faceret: aut taci è, si is ita lateenter accessisse notatus sit; vt satis factò ipso ostenderet se nolle sciri, quod fuerit ei confessus.

## CAPVT QVINTVM.

De casibus in quibus licet reuelare aliquid auditum in confessione.

## S V M M A R I V M.

55. Communior sententia doctorum est, quod de licentia Penitentis possit Confessarius peccatum in confessione auditum reuelare: & qualem esse oporteat talem licentiam.
56. Eiusdem sententia fundamenta ratio.
57. Quomodo possit Confessarius aliquid auditum in confessione reuelare de licentia Penitentis, cum non possit de licentia Papa.
58. Illis coram quibus in confessione auditum reuelatur, debet constare de data licentia: simili que adesse notabili reuelandi causa.
59. Non sufficit licentia presumpta, sed requiritur actus data, saltem tacite.
60. Nec item sufficit licentia debita, si non sit actus data.
61. Reuelare potest Confessarius auditum in confessione, si extra eam confitens illud adhuc eidem detegerit.
62. Confessarius consilium potest petere sine licentia confitentis, dummodo si inde nullo modo valeat detegi.
63. Non impeditur Confessarius detegere id quod audiuit in confessione, si illud adhuc alia viã didicerit, siue ante, siue post eandem confessionem.
64. Peccatum est nihilominus mortale, dicere se tale quid nosse ex confessione, aut illud certius dicere propter confessionem, quam cognitum sit extra eam.
65. Propositum peccandi, in Sacramentali confessione declaratum, cadit sub hoc sigillum, etiam si confitens illud emendare nolit.
66. Confessio facta animo pervertendi Confessarium non inducit sigillum Sacramentale: inducit autem facta animo accusandi se, quantumuis perseueretur in aliquo malo proposito.
67. Non nascitur Sacramentale sigillum: ex eo, quod coram Confessario flexis genibus, & facto signo crucis aliquid ei aperitur, dicendo, Aperio tibi in confessione.
68. Quid agendum Sacerdoti, cui obicitur, quod confessionem auditam reuelauerit.

Vnus est istiusmodi casus; cum scilicet Penitens dedit licentiam reuelandi audita: de quo in vtramque partem rationes adfert Medina in Cod. De Confessione quest. 49. & tam authores, quam rationes proponit Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Penit. Dist. 6. n. 153. & aliquos sequac etiam Suarez. tom. 4. disp. 33. sect. 5. n. 5. & 6. nempe, cum Penitens Confessario dedit licentiam audita reuelandi.

Partem autem affirmantem, tum hinc, tum cæteri recentiores communiter amplectuntur; quos cum antiquioribus satis magno numero commemorat Henriquez in summa Theologia moralis, libro 6. capite 23. §. 1. lit. D. Inquiunt enim esse licitum de licentia Penitentis reuelare audita in confessione, dummodo eadem licentia sponte omnino, atque adeo sine vi, metu, aut deceptione sit data à Penitente; idque in suam, vel alterius utilitatem spiritalem, aut temporalem non contemnendam; vt admonet & declarat Nauarr. loco cit. num. 157. & 158. ita vt iudice cogente reum dare Sacerdoti licentiam dicendi peccatum ei detectum in confessione, nefas sit reuelare eã datã perinde ac non datã. Similiter si Penitens suã quidem sponte licentiam det, sed in suam, vel alterius perniciem, vel ad iocum tantum & recreationem, vt Nauarr. addit in sequent. num. 159. Quo etiam pertinere censeri potest abusus, cuius meminit Sotus in 4. distin. 18. quest. 4. artic. 6. col. 4. quod laborans zelotypiã dat conditionem vxori, vel ab ea accipit, vt ipsa confiteatur alicui Sacerdoti, cui faciat potestatem reuelandi, si umi adultera sit, an publicaj; id enim cedere potest in damnum spirituale foeminae, quæ vt extra confessionem, sic in confessione impudenter se pudicam esse mentiri potest. Ob quam rationem, ne qui-

dem

dem si femina sponte omnino licentiam concederet, deberet Confessor reuelare illud, quod scit tantum ex confessione. Sicut nec cum rogatur a confitente detento in carcere, vt innocentiam, quam ex sua confessione cognoscit, testificetur Iudici. Nam & inde sumi potest occasio mentendi in confessione; nec talis testificationis vsus esse potest in iudicio, in quo non creditur reo suum crimen negati. Testificatio autem illa non erit aliud, quam declaratio, quod reus neget crimen de quo accusatur.

*Explicatio casus in quo de licentia confitentis potest Confessor aliquid in confessione auditum reuelare.*

## SECTIO PRIOR.

56. **I**am cur proposita sententia, merito videatur contraria præferenda, ratio est, quod in tali casu cessat fundamentalis ratio obligandi seruandi secretum confessionis; erat enim, ne confessio ex eius reuelatione fieret fidelibus odiosa: ubi autem conitatur, Confessorium reuelare Confessionem de licentia Pœnitentis sponte ab ipso, & in ipso, vel alterius utilitatem data, nulli inde potest confessio reddi odiosa; cum cuique confiteri in tali casu suam sibi reliqui libertatem concedendi, vel negandi talem licentiam; & eam limitandi pro arbitrio. Deinde si quid impediret quominus iusta de causa Pœnitens posset alius peccatum suum reuelare per Confessorium, sicut potest per seipsum; maximè esset, quod obligatio celandi confessionem inducta sit, non in solius confitentis fauorem, sed totius populi Christiani, nec is à tam necessario salutis remedio retraheretur, ideoque non sit liberum cuique tali iuri credere, cum ex capite. *Si diligenti. De foro competentis.* nemo possit iuri in fauorem publicum inducto renuntiare. At hoc non impedit, quia iustitia illud iuris intelligitur, cum fauor publicus dicitur esse respicit ordinem, vel statum, vel officium, vel dignitatem personarum (vtille de quo mentio est in illo capitulo, non respondendi coram Iudice seculari, respicit statum Clericalem) non autem cum directe respicit personam; vt fauor ille de non reuelanda confessione, qui respicit directe personam cuiuslibet confitentis, tanquam peccatoris; qui quatenus talis, vt constat, non est in aliquo ordine, vel statu, vel officio, vel dignitate constitutus. Id quod Medina in citat. *question. 49. argument. 2.* pro hac sententia vrget. Accedit ex Nauar. *loco cit. num. 156.* nihil de iuri dicto fauori per eum de quo agimus modum permittendi confessionis reuelationem, imò potius addi; cum ex parte Pœnitentis; quia cum aliquando necessarium sit Confessorium alios consulere super ipsius statu, si id ille facere non posset de ipsius licentia, ipse et Pœnitens cogere extra confessionem per se consulere, quod grauius esset quam dare eam de qua agimus licentiam. Tum ex parte Sacramenti, quia propensiores efficiuntur homines ad confitendum, cum certo sciant suam confessionem nunquam alicui detegendam sine ipsorum consensu; imò neque cum eo, si aliquatenus fuerit ipsis damnosum, sed tantum cum expedierit ipsis ad eum solum finem quem ipsi voluerint, & fuerit ipsis vtile, nec aliter.

57. **C**eterum ex eodem Medina sub finem eiusdem questionis, ideo licentia confitentis sufficit in hac re, non obstantè præcepto naturali, & diuino de seruando confessionis secreto, quoniam ea data, illud super quo datur, eatenus definit esse materia eiusdem secreti, quatenus ipsa super illo datur: sicut cum creditor terminum solutionis prolongat, in quo se soluturum debitor ei iuravit, solutio, quatenus facienda in eo ipso termino, definit esse materia iuramenti. Itaque lex naturalis, diuina de non reuelanda confessione, intelligenda est cum exceptione casus in quo datur à confitente licentia reuelandi; quandoquidem in tali casu cessat causa obligandi celandi, prout exposuit est. Id quod non vsu venit, si Papa etiam de iura sua potestate, det licentiam reuelandi; iuxta illud quod ante habitum est num. 11. ex ipsius dispensatione nunquam potest Confessorium auditum confessionem reuelare. Ita vt in hac re idem contingat, ac cum Petrus iuravit se Paulo certum debitum liquidum soluturum intra præfixum aliquem terminum: Nam licentia Papæ de vltimis differenda solutione, non releuat eundem

Petrum à petitorio; licentia autem per Paulum data releuat. Quod etiam annotans Medina *ibid. in responsione ad primam rationem*, quædam adhuc notata digna pro praxi addit, sub finem eius. *qu.*

Primum est Confessorium non posse confessionem reuelare, nisi illis, coram quibus reuelatur, confiteri de data licentia à confitente; cum alioqui sit periculum scandali, & odij confessionis.

Secundum est, dari debere præsertim licentiam propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum euitandum, quod præponeret famæ Pœnitentis: cum alioqui neque data vt liceat, propter eadem incommoda quæ prius propozita sunt.

Tertium est, non sufficere talem licentiam præsumptam esse, sed requiri vt actu data sit: quia reuelans confessionem ex sola licentia præsumpta, de se facit eam odiosam. Quamquam non videatur necessarium vt sit actu expresse data, sed sufficere potest vt sit actu data tacite: quod Iacobus quoque à Graphijs notat in *libro primo decisio. auctorum, capite 23. numero 13.* Ratio verò est, quia iustiusmodi quoque licentia omnem rationem scandali & odij confessionis tollit, vt ex se patet. Exemplum est, quod prædictus author adfert, si confitens mandauerit Confessorio post suum obitum hæredibus dicere, vt restituat quædam, quæ alijs debet.

Nam quamuis nihil expresserit de reuelatione fraudis, propter quam obnoxius fuit restitutioni, & hæredes facile sint de ea suspicaturi, tam mandato auditio: ipsum tamen executioni mandare licet; quia illud dans simul, tacite saltem, iusta de causa dedit facultatem reuelandi eandem fraudem, in quantum ex eiusdem mandati executione potest in illius notitiam deueniri: argumento *c. Præsertim. De Offic. deleg.* vbi sub finem habetur, ex eo quod causa alicui committitur super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam ipsam recipere potestatem.

Quartum est neque licentiam debitam, si non sit actu data, sufficere ad licite reuelandam confessionem: quia non sufficit ad tollendum scandalum & odium confessionis: atque licet in distrahendis rebus temporalibus sufficiat dominii consensus debitus, vel præsumptus quando actualis sufficeret: non sufficit tamen in administrandis sacramentis, vt patet ex his, alijsque similibus exemplis: Nam in receptione baptismi (quamuis cætera necessaria ad sint) si baptizati consensus actualis desit, qui simul adesse debet grauius peccatur, nihilque valide efficitur. Item in matrimonio, quod Petrus dolose contrahit cum Bertha sine actuali consensu, quem debet habere, grauius peccatur, nec valide contrahitur. Itaque vt in reuelatione confessionis sacramentalis non peccatur, non est satis quod casus ad sit, in quo Pœnitens debeat in eam consentire, nisi actu consentiat.

*Aliqui casus, in quibus sine licentia confitentis, licet reuelare aliquid auditum in confessione.*

## SECTIO POSTERIOR.

61. **A**dunguntur præcedenti alij casus, in quibus licet, etiam non petita à confitente licentia reuelare aliquid auditum in confessione: vt secundus sit, quem attigit idem Medina in eadem *quest. 49. corol. 1.* si ipsemet confitens extra confessionem illud detexerit, quia tunc non est materia secreti, quod sub sigillo confessionis necessario seruandum sit. Nam si Pœnitens illud quod in confessione dixit, idem extra eam, siue ante, siue post, voluerit reuelare Confessorio, tanquam amico, & independentem à confessione; confert notitiam irrevocabilem; nec facere potest, vt ipse illud sciat tantum ex confessione; adeoque teneatur illud seruare secretum sub sigillo confessionis. Quocirca poterit tale quid sine licentia ipsius confitentis reuelare, eodem modo quo potest cætera quæ sunt secreta naturalis.

Tertius casus esse potest, quem habent Syluester Confessor. *3. quæ. 5.* & Sotus in *4. distinct. 18. quæst. 4. art. 6. col. 4.* cum Sacerdos indigens consilio circa peccatum auditum, consulit verum doctum. Nam sine licentia Pœnitentis potest illud petere, dummodo persona quæ peccauit nequeat inde venire

in nouitiam. Probatur ex cap. Officii. De Penit. & remiss. vbi non reprehenditur legatus petens consilium de peccato, quod tacitè in particulari peccantis personà, asserit se in confessione cognouisse. Addit Sotus, quod si confitens nollet Confessarium tale consilium capere, is non posset vltra procedere, sed illum sine absolutione dimittere.

63. Quartus casus (de quo in sequent. quest. 15. Medina disputat in vtramque partem) est: quando Confessarius ea quæ per confessionem nouit, adhuc alià viâ didicit: quo casu post D. Thom. in 4. distinct. 21. omnes ad vnum (teste Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Penitentia distinct. 6. num. 161.) consentiunt Confessarium dicere posse, imò superiore iubente teneri dicere, quæ per confessionem nouit quidem, sed adhuc alià didicit viâ; dummodo illa perinde dicat, ac si per confessionem nullatenus nouisset: nimirum cauendo, ne quid proferat vnde certitudo maior, vel circumstantia aliqua habeatur, tantum ratione notie proueniens ex confessione. De qua re authorres aliquot refert Henriquez lib. 6. sua summa cap. 20. §. 4. lit. C. Ea que procedit, siue Confessarius talia nouerit antequam confessio fieret, siue postea. Confirmatur autem ex incommodis quæ ex illius contrario sequerentur: nempe confessionem esse à Christo institutam in præiudicium publicæ iustitiæ; siquidem qui de veritate sufficienter cognita testificari debuit, per auditam confessionem impediretur id facere. Item dolum & fraudem alicui ratione confessionis patrocinari: vt si laico calicem fureretur coram Sacerdote: & ei statim confiteatur de eodem peccato, ne ipsum denuntiare, aut de ipso testificari possit. Præterea criminosis confiteretur suo Prælato; ne sufficienti cognitione de ipsius crimine habita per testes omni exceptione maiores, sententiam in eum proferat. Denique contingere posset innocentem ratione confessionis pleæti, nocente dimisso. Si enim duob. quorum alter Sacerdos sit, videntibus delinquat tertijs, qui statim confiteatur eidem Sacerdote: & alter non Sacerdos delinquentem accuset coram Iudice, dicens talem Sacerdotem posse idem testificari: qui Sacerdos si veritatem neget interrogatus iudicè, faciet puniri accusatorem tanquam reu falsi testimonij; nocentem vero liberari: quæ omnia manifestum est incommoda esse.

Si quis opponat, in cap. Sacerdos. De Penitent. distinct. 6. & in cap. Omnis vtriusque sexus. De Penitent. & remiss. dari præceptum de celanda confessione, nullà factà mentione talis vel alterius casus. Occurrunt Medina & Nauarr. ille in citat. questio. 50. & hic in sequenti num. 163. rationem cogere nos ista exceptione vti, propter absurda quæ essent alioqui admittenda vt patet ex dictis: sicut & cum Ecclesia præcipit in eodem cap. Omnis vtriusque sexus, vt peccator semel in anno confiteatur omnia sua peccata, non excipit quidem venialia; ratio tamen cogit nos excipere ea: quia tale præceptum esset alioqui valde durum, ob grauissimam poenam, quæ illius transgressori imponitur: immo impossibile esset ob innumeram multitudinem & varietatem eiusmodi quotidianorum peccatorum. Pro vitando autem scandalo, vt Medina addit, Confessarius debet in tali casu dicere modum quo scit illud quod reuelatur: nempe quod viderit perpetrari, aut quod perpetratum esse reuelatione hominis fide digni extra confessionem accepit.

64. Indicare autem nullo modo debet, se per confessionem quoque Sacramentalem id scire: quia peccaret mortaliter, vt ex Scoto habent Angel. & Syluest. ille verbo Confessio vltimo num. 7. & hic eodem. verbo 3. quest. 5. quia scilicet in eo sigillam certo modo violatur. Adduntque idem esse dicendum (mortaliter inquam peccare) si extra confessionem sciat semiple- nê, & reuelat plenè, sicut nouit ex confessione: vt si extra confessionem nouit tantum dubiè, reuelat certè & indubitanter, sicut ex confessione nouit. Id quod Nauarr. approbat in Enchir. cap. 8. num. 15. inquiring eam esse mentem omnium Doctorum.

65. Quintum casum Angelus & Syluest. ibidem ponunt, cum quis confitetur peccatum aliquod à se perpetrandum, nolens mutare tale malum propositum, In quo casu non modo ipsi, sed etiam ante ipsos, nobiles Theologi & Canonistæ, quos Sotus commemorat in 4. distinct. 18. questio. 4. art. 5. col. 12. sentiunt Confessarium non teneri talem confessionem celare, quia non est Sacramentalis; vt pote quæ non est facta de

peccatis commissis, quæ sunt Sacramenti Penitentiae materia; sed de committendis. Verumtamen videtur cum Soto ipsò dicendum, eam sententiam nisi in summo fundamento. Nam illud ponentes concedunt non posse reuelari confessionem eius qui de peccato commissio confitetur, cum proposito perseverandi in illo: vnde sequitur neque posse reuelari factam de committendo; quia vtroque adest peruersa voluntas peccandi in futurum. Neque quod in vno eorum casuum, nondum sit peccatum peccatum sicut in altero, impedit quominus sub sigillum similiter cadat illud quod sacramentaliter confitendo fuerit dictum: quia in vtroque illo casu peccatum, siue præteritum, siue futurum præsens est similiter in deprauata voluntate proponentis peccationem eius, ac similiter confessio in vtroque eodem casu inuolida est: ob defectum propositi emendationis.

Tenendum est igitur cum eodem auctore, & pluribus alijs, quos refert Henriquez in summa Theol. moral. lib. 6. cap. 21. §. 3. lit. N. propositum casum posse tantummodo locum habere, cum quis ex modo procedendi aduertitur non confiteri animo accusandi se, sed Confessarium pervertendi, mouendi que ad malum: quia talis non est confitendus intentionem habere confitendi. Quod idem Sotus confirmat ex eo, quod aliquando Romæ contigit: vt quidam Cardinalis conspirationem moliens in Summum Pontificem, confiteretur alteri Cardinali ea intentione vt illum in suam coniurationem traheret. Re enim postea per aliam viam comperita, Cardinalis ille, qui confessionem audiverat, accusatus est ac multatus, eo quod rem non detexisset. Quo facto Summus ipse Pontifex significauit rem detegi potuisse in tali, alioque simili casu. Quotiescumque autem confiteri alicui confiteri. Sacramentaliter, id est, per modum accusationis coram Deo, etiam si habet finitrum propositum, redens, confessionem inuadit, sigillum est seruandum: vt si quis ad confessionem accedat delictum in futurum cum altero, aut alicui manifestè perniciosis occidit priuata auctoritate, putans talia licere: nec à Confessario admonitus, quod talia sine peccato mortalia, volens à proposito desistere; quibus absolueudus non sit, tamen illius confessio est celanda tanquam Sacramentalis; quandoquidem per solam propositi mutationem abque alia confessione (tanquam contritus scilicet & confessus) absolueudus esset. Ita Sotus in sequenti col. 13.

67. Sextus casus (de quo plures auctores Henriquez refert loco cit. lit. P. & nos etiam attigimus in ca. 1.) est: quando Penitens sine proposito confitendi, & absolutionem obtinendi dicit Sacerdoti; Hoc tibi aperio in confessione; etiam si dicat flexis genibus, & fronte signo crucis signata. Id enim ex communi sententia, teste Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 53. ad Sacramentalem confessionem non sufficit: id eo quod illa detectio, cum Sacramentalis non sit, obligat tantum eo secreti vinculo, quo alia facta extra confessionem.

68. Hic addere possumus cum Iacobo à Graphijs, in libr. deis. aurearum, c. 23. n. 22. extra casus prædictos, in dubio Confessarium debere se imper inclinare ad seruandum secretum vt enitit scandalum, & onus probandi. Nam, vt idem addit in sequent. num. 23. ex Syluest. Confessio. 3. quest. 9. si quis dicat Sacerdotem reuelasse confessionem, & ipse concedat se tale quid, quale obijciat, dixisse; debet ipse ostendere vnde illud nouerit extra confessionem. Cæterum si neget se quidquam tale dixisse, negatio ipsius admittenda est, aduersus alterius affirmationem; cum non minus ei credendum sit, quam alteri. Sin dicat se licentiam reuelandi à Penitente habuisse, idem Iacobus in præced. num. 15. & 16. secutus Hostiensis, Decij. & Lapi doctrinam, distinguit inquiring, quod si ille qui obijcit confessionis reuelationem sit tertius à Confessario & à Penitente diuersus, eidem incumbere onus probandi factam esse reuelationem sine Penitentis licentia. Cui oneri satisfacere confitebitur, si ostendat, quod idem Sacerdos simpliciter reuelauerit, aut se reuelasse dixerit pluribus, nihil addendo de habita reuelandi licentia. Si verò ille qui confessionis reuelationem Sacerdoti obijcit, sit peccator qui et confessus est, secus fortè esset: vt idem autor addit ex Hostiensis ad cap. Omnis vtriusque sexus. De Penitent. & remiss. Sed mihi probatur quod aliquot alijs citatis habet Alphonsus. Valdo in Camdele. aureo. cap. de sigillo confess. num. 39. tunc standum esse ipsius Sa-

cordis iuramento, maxime si vir probus sit, & bonæ famæ; cum de nullo (maximè de Sacerdote) præsumendum sit malum sine probatione. Atque reuerentiæ Sacramenti (ne scilicet temerè crederetur sigillum ipsius fractum) exigat, vt in dubio declinetur in Confessarij fauorem: nisi id quod obliuiscit sit dictum, aut factum ab eodem Confessario, in Pœnitentis aut alterius detrimētum; De qua re Hæriquez, & Suarez, ille in sua summa lib. 6. cap. 19. in fine: & hic tom. 4. disputat. 33. item in fine.

CAPVT SEXTVM.

De obseruatione sigilli Sacramentalis in ordine ad complices Pœnitentis.

SVMMARIVM.

- 69. Quomodo illicitum sit Confessario Pœnitentem interrogare de complicitibus.
- 70. Quod nec auctoritas Prælati, nec zelus diuine gloriæ, talem interrogatorem reddat licitum.
- 71. Quomodo & quando possit eiusmodi interrogatio licita esse.
- 72. Confessarius peccatum complicitis in confessione detectum reuelare non potest sine confitentis licentiâ, cum ea autem, potest.
- 73. De eadem licentiâ potest complicem ipsum corrigere.
- 74. Potest quis alicui cetero Sacerdoti consisteri ad obtinendum ab eo auxilium aduersus complicem.
- 75. Non potest Confessarius aliquem inducere ad sibi confitendum, vt inde acquirat notitiam aliorum quos corrigat.
- 76. Non potest in eum ipsum finem de persona complicitis interrogare confitentem: sed est arbitrio suo relinquendus.
- 77. Requisita vt confitens possit vii opera Confessarij ad corrigendum complicem.
- 78. Quando teneatur confitens vii opera Confessarij ad correctionem complicitis.
- 79. Quando possit, aut etiam teneatur Confessarius complicem de licentiâ confitentis corrigere.
- 80. Eadem ratione qua potest Confessarius complicem corrigere, potest & denuntiare denuntiatione paterna, non autem iudiciali.
- 81. Eodem modo quo licet vii industria Confessarij ad corrigendum complicem licet quoque vii ad vitandum aliquid malum, vel bonum aliquid promouendum iusta de causa.

Quæ spectant ad obseruationem sigilli Sacramentalis respectu Pœnitentis, satis patent ex antedictis. Cum verò ipsum extendatur ad huius complices, antequam finem faciamus, aliquot documentis ostendendum est, quatenus respectu eorundem complicitum sit seruandum præmissis quod habet Henriquez in lib. 6. summa Theologia moralis cap. 25. §. 2.

69. Prælatum haud posse à Pœnitente exigere, aut ipsum interrogatione, vel iniectio serupulo inducere, aut per præceptum, vel comminationem, vel suspensionem absolutionis impellere, vt sibi manifestet alienam personam, quando id nullo modo necessarium vel opportunum esset ad præsens iudicium, pro exoneranda conscientia confitentis. Quia potius, tâquam doctor, ex proprio munere debeat monere sponte manifestantem, ne alienam personam nominet, nec historias narret; sed simpliciter pureque tantum dicat ea quæ faciunt ad manifestanda peccata, quibus sentit conscientiam grauaram; nisi forte indigeret consilio & auxilio ad se in futurum à peccato protegendum aduersus eandem tertiam personam. Cuius doctrinæ fundamentum idem author ponit, quod sit contra charitatem (quâ debemus proximum sicut nos ipsos amare) vt in tali re faciamus alteri, quod nollemus nobis fieri. Imò & contra rectam rationem, quæ aperte dicitur illud quod Tobias 4. sanctus pater prescribit filio. Quod oderis ab alio tibi fieri, caue ne tu aliquando facias alteri: quod quæ suis omnibus Dominus noster iniungit Matth. 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.]

70. Neque tale factum excusari potest per auctoritatem Prælati: quoniam ad iudicium quod per illam exercetur in foro interno, non alia persona, nec alia peccata pertinent quam Pœnitentis: vt ex eo constat quod tantummodo illi, & de ipsius peccatis propriis detur absolutio. In foro autem externo, non licet interrogare de peccatis, quorum non præcessit accusatio, vel infamia quæ accusationis locum teneat, per citata

à Nauar. in Enchin cap. 18. num. 38. ita vt interrogatus non teneatur alioqui respondere ad mentem interrogantis, tanquã non procedentis iuridicè. Nec eiam potest tale factum excusari per zelum, quo Prælati moueatur, diuine gloriæ; quia tale medium (vt pote periculosum, ideoque illicitum, cum sit inductio, ad occultè detrahendum de alio sine iusta causa) tam est ineptum ei fini, quam mendacium. Itaque confessiones audiens existimet se satis functum suo munere, si confitentem reconciliet Deo, & disponat ad perseuerantiam in bono. Alia autem occulta relinquat vniuersali sententiæ Christi; inferuabili interea iudicio permittentis multa mala fieri, ac finentis per ministris peccatores officia vili, etiam Ecclesiastica, exerceri; sicut & olim per Iudam proditorem. Cauere igitur debet Confessarius ne interrogando fallat rudes & inexpertos, mouendo sic eis scrupulatur; vt existiment se non plene confitei nisi complicitum peccata, etiam occulta, detegant. Atque si aliqua talia per suam aut confitentis imprudentiam cognoscat, debet se perinde habere, ac si ex confessione nihil didicisset, committens Deo remedium malorum, quod adferre, non est ipsi commissum.

Quamquam, vt idem auctor ibidem. §. 9. pluribus aliis citatis addit, non prohibetur Pœnitens, si velit, quantumcumque non compellatur præcepto, aliqua accusare seu denuntiare Prælati ad promouendum commune bonum, vel vtilitatem propriam. Ratio est, quia licitum est, commune priuato, & proprium alieno præponere. Quamquam prudenter cauendum est, ne iniuste, aut contra charitatem proximus lædatur.

Neque etiam prohibetur Confessarius ad vtilitatem Pœnitentis, vt ad dandum ei auxilium, vel consilium, audiens aliquibus peccatis generaliter interrogare de complicitibus (ad instar scilicet Iudicis qui viso homine occiso, generali interrogatione inquiris a presentibus quis eum occidit) non quæ dem animo curioso, nec compellendo per præceptum aut comminationem; sed amice rogando vt dicat si velit, quod se posse licitè acturò dicere iudicat. Nam in eo nihil amplius facit, quam cum audiens generalem totius vitæ confessionem, pœnitente de aliquo peccato confitente, de alio quod tacere possit (tanquam de eo iam alias sufficienter confessus) interrogat ad finem melius dirigendi ipsum in via salutis.

Iam verò, si quid sit quod confitens teneatur dicere ad manifestationem peccati sui, aut circumstantiæ mutantis eiusdem peccati speciem (de qua re idem auctor pluribus, & dicendum erit in sequenti parte, cum agetur de confessionis integritate) tunc licet Confessario prudenter interrogare, etiam si per accidens inde secutura sit notitia tertie personæ; nisi charitas exigeret eam esse vitandam ob notabile illius damnum. Cuius doctrinæ ratio esse potest, quod alioqui perplexus esset Confessarius; cum ex officio teneatur Pœnitentis in confitendo supplere defectus. Quod si dubia sit talis obligatio Pœnitentis; quia dubium consequenter erit, an Confessarius possit vii eiusmodi interrogatione, ille ab ea abstinere debeat; cum illicitum sit id agere, de quo dubitatur, an sit licitum.

Documenta de re proposita.

72. Primum autem documentum, de re proposita (sumptum ex his quæ Suarez disputat tom. 4. disputat. 34. sect. 3.) est: Confessarium eodem sigillo teneri secretum seruare circa peccatū complicitis, quod Pœnitens suum confitendo detexerit; quo tenetur circa id ipsum Pœnitentis peccatum. Istud satis constat ex dictis in præcedenti cap. 4. indeque consequens est, non esse licitum Confessario, absque Pœnitentis licentiâ, tali notitia vii ad aliquem vsum, quo persona eiusdem complicitis prodi possit; quia id esset sigillum frangere. De licentiâ autem Pœnitentis, posse Confessorem illâ vii in bonum eiusdem Pœnitentis (& præsertim id postulante spiritali ipsius necessitate, vt ad eum ipsum defendendum aduersus importunam inuestigationem complicitis, conantis inducere ad peccandum) patet ex eo quod licentiâ interueniente non frangatur sigillum; iuxta antedicta in principio proximè præcedentis capituli.

De qua re pluribus Suarez, loco citato. Qui & in sequenti sectione 4. disputat, An liceat Confessori Pœnitentis præ-

dicta licentia vti ad corrigendum complicem, vel ipsius delictum impediendum ad aliorum bonum. Partem autem affirmantem sequitur pluribus aliis pro ea citatis: confirmatque ex eo, quod tale quid non sit contra sigillum confessionis, vt patet ex iam dictis, neque iure aliquo positio sit prohibita: nullum enim tale assignatur. Nec etiam rationi aduerteretur, cum id non minus, imò & magis rationi consentaneum sit (propter maximam scilicet sigilli huius vim. de qua in *praced. cap. 2.*) quam extra confessionem absque intentione detrahendi; peccatum alterius mortale detegere alicui viro timorato, cui dicere perinde est ac non dicere; eo quod non oberit, & fortè proderit. Id quod licitum esse habet Nauarr. in *Enchir. cap. 18. num. 33.* Immo ea est communis omnium sententia, vt notat Perr. à Nauarr. in *lib. de restit. capite 4. num. 275.*

Obiicienti autem quod confessio sit ordinis superioris; vt pote facienda ex Christi institutione, præceptoque supernaturali: correctio verò fraterna sit ordinis inferioris, tanquam facienda ex naturali rationis dictamine, ideoque illam non esse medium ad hunc finem proportionatum.

Respondendum est, quod in *lib. 5. summas Theologie moralis, cap. 10. §. 1. articulo Henriquez,* correctionem fraternam esse quoque faciendam ex institutione & præcepto Christi *Matth. 18.* Et inter fideles eam non solum esse ex charitate naturali, sed etiam ex charitate infusa, quæ obligat ad diligendos proximos altiori modo, quam pura natura obligaret. Vnde fit vt si necessitas proximi urgeat (inquit Suarez in *eodem sect. 4. num. 19.*) charitas possit obligare ad vtendum confessione, allouendo medio supernaturalis ordinis ad eam subleuandam. Ad hæc non est incommodum, vt superius ordinetur ad inferius, tanquam ad finem proximum; ordinatum vterius ad aliquid vti quæ eo dignius v. g. ad gloriam Dei; ad quam solet correctio fraterna vltimò referri. Id patet ex eo quod incarnatio verbi Dei ordinata sit ad nostram salutem, quæ et si longè inferior sit, illius tamen finis est debitus: quia salus ipsa nostra ad Dei gloriam ordinatur: in cuius rei confirmationem alia exempla habet Henriquez in *sequenti lib. 6. cap. 24. §. 1.*

74. Secundum documentum (quod ac sequenti articulo tam Henriquez in *prins citato cap. 10.* quam Suarez in *eodem sect. 4. num. 14.* & deinceps) licitum esse Pœnitenti velle alicui Sacerdoti confiteri, vt sibi & complici, per illius industriam remedium quaerat; nam vt utrumque est charitatis officium, nihilque sanctitati sacramenti repugnat.

75. Tertium est; non esse licitum Superiori, & multo minus alteri Sacerdoti, procurare alicuius confessionem sibi fieri, vt per illam acquirat notitiam aliorum quos possit corrigere. Nam siue id fiat necessitatem imponendo per præceptum; aut per reuocationem totius iurisdictionis ad se, siue suadendo aut perendo, reddit confessionem, vt onerosam, sic & exosam, cum periculo tum scandali, si Pœnitentes intelligant per suas confessiones quaeri notitiam peccatorum alienorū: tum sacrilegij quo peccata aliqua taceantur in confessione. Quamquam tamen, si Confessor simpliciter ac ordinario modo, bonaque fide fungens suo munere intelligat aliquid ex confessione, nihil obstat quin opus sit charitatis complicem de eo corrigere, dum modo id fiat de licentia Pœnitentis, prout denter seruatis debitis circumstantiis.

76. Quartum est, non esse propter finem hunc correctionis, à Pœnitente interrogandam personam complicis in particulari, sed expectandum esse vt ipse sua sponte illam declare; neque Confessarium seipsum statim offerre debere ad eandem correctionem faciendam, quantumcumque eam conuenientem, aut etiam necessariam esse intelligat. Huius ratio est, ne Pœnitenti aliquid scandalum præbeat, per quod ei fiat odiosa confessio, aut exponatur periculo infamandi proximum absque necessitate: & quia fortasse potest per seipsum talem correctionem facere, aut vult vt opera alterius, quam putat aptiorem. Interrogari nihilominus potest generaliter, ac etiam debet, num existimet complicem sui peccati, egere aliqua sua correctione: Nempe vt intelligatur, num ea ex parte aliquam ipse obligationem habeat, cui satisfacere compellendus sit. Vbi tamen cauendum est, ne aliquid ab eo exigatur tanquam debitum ex obligatione præcepti, ad quod non constet ipsum reuera teneri; alioquin e-

nim grauitè peccaretur, siue contra iustitiam adstringendo illum ad id, ad quod non tenetur: siue contra charitatem, inducendo ad complicem ipsum infamandum apud tertium, nulla fortè necessitate tale quid exigente ad ipsius emendationem.

77. Quintum est, vt Pœnitens licitè possit vti in industria Confessoris ad complicem emendandum per correctionem, requiri per se, & sufficere; ex parte quidem complicis, vt talis correctionis aliqua sit moralis necessitas; Nam si vel ille iam est emendatus, vel nulla est probabilis ratio timendi nouum illius lapsus; non est facile infamandum. Ex parte Pœnitentis verò: tum vt probabiliter putet se per se non sufficere ad faciendam talem correctionem; si enim per se sufficeret, sine causa infamaret ipsum complicem: tum vt speret eam correctionem esse vtiliter faciendam per talem Confessarium; alioquin frustra ad id assumeretur. Quod si adhuc his concurreritibus aliqua occurrat quæ impediât; ea per prudentiam cauenda sunt. Nam de illis, cum accidentalia sint, nihil potest determinare statui.

78. Sextum est, præter iam dicta, vt Pœnitens teneatur vti in industria Confessarij ad emendationem complicis per ipsius correctionem, requiri quod tanta sit necessitas eiusdem complicis, vt charitas Pœnitentem ipsum obliget ad ei subueniendam, siue per se, siue per alium, eo quo potuerit modo: prout accidit in casu grauis necessitatis, scilicet urgentis, vt alioquin sit de nouo lapsurus in graue peccatum; vel notabile damnum illaturus proximo. Vbi aduerte, neque in tali necessitate teneri vt Confessarij industriam, sed posse vt opera alterius; nisi tales circumstantiæ occurrerent, quæ ostendant moraliter ad id necessariam esse Confessoris industriam: vt quando in tali occasione, vel loco, nullus alius ob penuriam hominū prudentium offerret idoneus, aut qui possit sicut Confessarius, non tantum consilio, sed etiam auxilio impedire nouum delictum, aut proximi detrimentum secuturum. Aduerte item, neque in necessitate, quæ tenebitur Pœnitens Confessoris vti operâ, compelli id facere interuentu confessionis, sed posse rem extra confessionem ei proponere; nisi talis esset, qui videretur non seruaturus secretum naturæ, quod minus est secreto confessionis. Non enim debet cum tanto infamationis periculo subuenire proximo; cum potest illud vitare: vt ex hypothesi censetur posse, committendo rem sub confessionis sigillo. Regulariter autem magis expedit, vt Pœnitens rem aperiat extra confessionem quam in confessione; vt Confessarius possit liberius munere suo fungi in corripiendo; non est tamē ad id cogendus, nisi in casu in quo secreta correctio non esset sufficiens.

79. Septimum est, iisdem conditionibus quibus dictum est Pœnitentem posse vti in industria Confessarij ad correctionem complicis, dicendum pariter esse quod possit Confessarius talem commissionem acceptare & exequi. Nec enim licitè ab eo peteretur, si licitè acceptare & exequi nequireret. Obligationem autem ad Confessarius habere potest: vel ex charitate, vt quando grauis necessitas proximi urgeat; vel ex iustitia, vt quando Confessarius esset proprius pastor complicis (cuius spiritalem salutem tenetur ex officio procurare) & prudenter iudicat suam correctionem medium esse ad eam necessarium.

80. Octauum est, de licentia Pœnitentis Confessarium posse procedere, vt ad correctionem complicis, si etiam ad illius denuntiationem paternam; si ad hanc etiam expressè detur talis licentia, non autem ad denuntiationem iudicalem.

Ratio est, quia per denuntiationem paternam ad Superiorem acceditur solum vt ad patrem; qui non potest inde procedere ad inquisitionem in subditum; aut inferre illi aliquid detrimentum; sed solum consilio, precibus, & operâ iurare, sequè prudenter cum eodem gerere remouendo ab illo occasiones peccati quam occultissimè, & que omnem occasionem malè suspicandi de Pœnitente ipso denuntiat; cauendo quæ in seipso nimiam facilitatem credendi; aut motum subitum, quo suum subditum denuntiationum pudore afficiat, aut alias malè tractet. Denuntiationem verò iudicalem tenetur Pœnitens per seipsum facere, quia ad eam requiritur, vt denuntians notus sit iudici, & quan-

& quantum potest publicam ei notitiam conferat: quæ tamen obligatio respectu Penitentis qui particeps est criminis, vix contingere potest, quia nemo seipsum in iudicio denuntiare tenetur: quod moraliter loquendo faceret denuntiando complicem. Potest autem sepe contingere respectu eorum, quorum non fuerit socius criminis: & tunc suæ obligationi debet satisfacere per seipsum: quod si non possit, vel excusabitur, vel certe, si bonum commune non relinquat locum excusationi, per alium faciet, cui rem communicet extra confessionem.

Postremum est, eodem modo quo ad corrigendum complicem vti licet in dicitur Confessarij, licere quoque ad vitandum aliquod magnum nocuum, aut ad procurandum aliquod magnum bonum honeste de causa. Sic (ait Suarez sub finem eiusdem 4. sectionis) a iultera potest per Confessarium monere socium criminis, vti se in tuto collocet, eo quod maritus ei mortem machinetur. Item si duo fuerint socij in furto, & vnus eorum morti vicinus restituit, potest per Confessarium monere complicem, vt intelligat vel se esse liberum, si toto restituito, partem eidem complici remisit: vel illam ipsam partem esse suis hæreditibus restituendam. Quibus casibus similes alij excogitari possunt. Arque hæc hæc tenus de Confessario. Laus Deo.

## LIBER QVARTVS DE PENITENTE.

### P R A E F A T I O.

**A**DEM methodo, qua antea de Confessario, dicturi de Penitente trademus primo qua in eo antecedere oportet Sacramenti Penitentiae usum: nempe conditiones sine quibus non censetur eiusdem Sacramenti capax: & preparationes quibus ad praesatum usum debet se disponere, cuiusmodi sunt ex parte quidem intellectus, conscientiae ex amen; ex parte vero voluntatis, excitatio ad eundem usum. Trademus secundò rationem, qua debet ad eum ipsum usum concurrere, exequendo rei, & accusatoris, restisque muneris. Tertio demum, que incumbunt ei agenda post talem usum: cuiusmodi (præter gratiarum actionem usurpandam imitatione Leprosi, qui ex D. Lucae cap. 17. vt vidit quia mundatus est, regressus est cum voce magna magnificans Deum, & cecidit ante pedes Domini Iesu gratias agens) sunt: tum impletio Penitentiae à Confessario impositae, de qua commodius dicetur in sequenti parte, cum de satisfactione: tum executio concepti propositi emendandi vitam: tum demum opera quorum usum emendatio vitæ exigit: nimirum oratio, ieiunium, & elemosyna. Complectetur ergo hic liber in prima quidem parte capita sequentia. Primum de conditionibus requisitis in Penitente, vt censetur capax Sacramenti Penitentiae. Secundum de examine eidem vsui præmittendo ab eodem Penitente. Tertium de excitatione voluntatis ad talem usum. Quartum de ratione qua Penitens ad eundem usum concurrere debet. Quintum de executione propositi emendandi vitam, concepti in illo ipso vsu. Reliqua verò in tribus reliquis partibus; quarum secunda erit de oratione, tertia de ieiunio, & quarta de elemosyna.

## CAPVT PRIMVM.

De conditionibus requisitis in Penitente, vt censetur capax Sacramenti Penitentiae.

### S V M M A R I V M.

1. Conditiõ vsus rationis, & quomodo ea deprehendatur a Iesse.
2. Conditiõ susceptionis Baptismi.
3. Conditiõ notitiæ necessariorum ad salutem, siue agendorum, siue credendorum.
4. Conditiõ intentionis suscipiendi tale Sacramentum.



**R**ÆMONENDVM est hominem in hac tantum vita capace esse Sacramentorum quia instituta sunt vt medicamenta humane nature: postquam autem homo per mortem ad æternæ gloriæ terminum peruenit, non est amplius talium medicamentorum capax: cum, tanquam nullo modo obnoxius morbis, non habeat opus Medico: damnatus verò, tanquam æger omnino desperatus, medicamentis foneri non debet. Ad quam vitæ conditionem, in Penitente, vt capax sit Sacramenti Penitentiae, quatuor alias accedere oportet: quarum prima est (quæ à natura suppeditatur) vsus rationis tanquam necessarius ad exercendam in praxi Penitentialis formæ, Penitenti incumbentem contritionem & confessionem.

Sed aduerte difficultatem esse quando talis vsus contingat pueris. Quod enim cum glossa ad cap. 1. De delictis puerorum, communiter assignatur septimus annus, procedere quidem potest quoad forum externum; in quo locus est præsumptioni: non tamen quoad internum, in quo veritas exigitur: & in rei veritate, alij citius ad rationis usum, seu discretionem inter bonum & malum, alij tardius perueniunt, vt experientia docet: septennium autem nonnunquam præueniri, patet ex puero illo quinquenni, quem D. Gregorius in lib. 4. Dialog. cap. 18. refert blasphemantem in sinu patris suffocatum esse à Dæmone. Itaque res diiudicanda relinquatur viro prudenti ex iudiciis, quæ puer ipse ostendit discretionis inter bonum & malum: vt si verecundetur ob malefactum: aut si interrogetur, liceatne innocentem interficere, aliena iniungere, Superiorem maledicere, & alia eiusmodi & respondeat negatiue: aut interrogatus an bonum sit pauperi esurienti panem portigere, Ecclesiam adire ad seruendum Deo, & alia similia, respondeat affirmatiue: quemadmodum in Enchir. Nauarrus cap. 21. num. 33. annotat. Quæ quidem indicia si adsint ante primum septennium, existimandum est adesse etiã capacitatem peccandi mortaliter, atque consistendi, etiam sub obligatione præcepti Ecclesiæ dati in cap. Omnia vtriusque sexus De Peniten. & remiss. prout notatum est à Syluestro Confessio 2. quæst. 5. Si vero necdum adsint talia signa expleto ipso septennio, iudicandum est necdum adesse capacitatem, & obligationem ad hoc Sacramentum, ex Hostiensij in summa tit. de delictis puerorum. §. Pater.

Secunda conditio est, suscepisse Christi baptismum, cuius necessitas satis intelligitur ex eo quod Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. statuit Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Domesticos autem fidei, quos Christus Dominus lauacro baptismi, sui corporis membra temel effecit, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismi ablui; sed ante hoc tribunal (Penitentiale intellige) tanquam reos sibi voluit. Vnde constat (quod etiam habetur ex sequenti cap. 5.) Sacramenti Penitentiae materiam esse sola peccata post baptismum commissa: quibus cum careat nondum baptizatus, censeri non potest capax talis Sacramenti. Adde quod nec sit aliorum sacramentorum, ex cap. Veniens. De presbyt. non baptizato.

Tertia conditio requisita ex parte mentis, est hanc imbutam habere notitiã necessariorum ad salutem; nempe tum communium mandatorum Dei, & Ecclesiæ: quæ qui ignoret inter Catholicos viuens, rarus est, cum modus procedendi bonorum satis talia inculcet: tum etiam

præci-